

St. Fr. I 37/1120 ✓  
16.

CKN  
22  
18

De septem orbis spectaculis  
quaestiones

scripsit

**Hermannus Schott.**

Beigabe zum Jahresbericht

der

Königl. Studienanstalt Ansbach  
für 1890|91.



**Ansbach.**

Druck von C. Brügel und Sohn.  
1891.



C  
K  
N  
22

De septem orbis spectaculis praeter Leonem Allatium et Jo. Conr. Orellium <sup>1)</sup> scripserunt Fr. Haase <sup>2)</sup>, deinde B. Starkius <sup>3)</sup>, novissimus H. de Rohden <sup>4)</sup>. Et Allatius quidem atque Orellius itemque Starkius veterum de septem spectaculis locos collegerunt, nec tamen eos universos, Rohdenius in Ampelii octavo capite §§ 18—23 eundem septem miraculorum ordinem latere demonstravit, qui esset in appendice Hygini fabularum (222) atque apud alios; Hyginum autem, vel quisquis fuit appendicis auctor, ceterosque, qui cum eo faciunt, e Varronis hebdomadibus sua hausisse dixit. Alias quoque, prout res ferebat, notulas de septem orbis miraculis adspersit; praeterea Philonem quem vocant Byzantinum non Alexandrina aetate, sed exeunte quinto vel ineunte sexto p. Chr. n. saeculo librum illum de septem spectaculis composuisse demonstrat. Fr. Haasius denique pauca de eo, quem Gregorius Turonensis in libro illo de cursu stellarum affert, septem miraculorum ordine disserit. Sed quoniam tempore et a quo canon ille constitutus sit et quaeenam opera primitus in eo fuerint, quaque ratione et quando ab illo antiquissimo canone variari coeptum sit, ea accuratius disquirere adhuc nemo aggressus est <sup>5)</sup>, neque, ex quo Rohdenius (diss. p. 1) ita se rem habere statuit, novi quicquam de septem orbis spectaculis in lucem editum est. Quare cum ad eos veterum locos, quos apud Orellium et Starkium collectos habemus, mihi accederent novae quaedam orbis miraculorum enumerationes, quas R. Schoel-

<sup>1)</sup> Ad Philonis Byz. de septem orbis spect. libellum ed. Orellius. Lips. 1816.

<sup>2)</sup> Gregor. Turon. lib. de cursu stellarum. Vratisl. 1853, p. 29.

<sup>3)</sup> König Mausolus und das Mausoleum zu Halicarnass. Eos I, 1864. p. 345—400.

<sup>4)</sup> De mundi miracc. quaestt. select. diss. inaug. Bonnae 1875.

<sup>5)</sup> Starkius enim l. l. leviter tantum rem perstringit.

lius, vir clarissimus, liberalissime mihi permisit, quas ego haud parvi momenti faciendas puto, satis iam quasi materiae praesto mihi esse existimavi, qua usus de eis, quae ceteri disquirere supersederunt, aut nova aliqua statuerem aut, quae alii iam viderunt, ea novis causis firmarem. Plane tamen me hanc de septem miraculis quaestionem et gravissimam sane et difficillimam absolvere posse minime equidem confido. Namque, ut recte Rohdenius dicit, absolvi illa quaestio nisi omnibus veterum de ea re locis collectis, quin etiam codicibus Byzantinae aetatis evolutis non poterit. Ad quae negotia cum mihi nec tempus nec cetera, quae ad tantam rem suscipiendam opus sunt, suppetent, reservata ad posterum tempus illa cura ad praesens satis habui, si non absolvere rem, tamen aliquantum promovere. Idque me consequi posse diligentissime examinatis veterum quae adhuc praesto sunt de septem miraculis testimoniis certissima spes est. Neque enim dubium est, quin gravissimus quisque septem miraculorum ordo gravissimaeque de ea re veterum narratiunculae ad nostram memoriam pervenerint. Quare licet multae notulae, quae ad rem illustrandam aliquid valeant, in veterum libris adhuc lateant, tamen, quo tempore et a quibusnam canon septem spectaculorum constitutus sit, qualis primus ordo fuerit, quo tempore et qua ratione ab antiquissimo canone variatum sit quaeque usque ad Byzantinorum aetatem canonis quasi fata fuerint, iam nunc in universum quidem statui posse videtur. Quas res disceptandas mihi proposui.

# I.

Priusquam ad ea ipsa, quae mihi proposita sunt, investiganda accedam, de ordinibus septem miraculorum, qui nobis servati sunt, in universum nonnulla sunt disserenda. Quos ordines, quo expeditius perlegerentur quoque facilius inter se conferrentur, in una tabula compositos libello suffixi.

Inter hos ordines antiquissimus est in Antipatri Sidonii epigrammate (Anthol. Pal. IX, 58, vol. II, p. 12 Duebn.), quem initio primi a. Chr. n. saeculi fuisse constat. Sequitur mutilus in Martialis epigrammate ordo (spectac. I, 1). Proxima est Gregorii Nazianzeni enumeratio, quae est in epigrammate (Anth. Pal. VIII, 171, vol. I, p. 536 Duebn.) eiusdemque in oratione illa in Basilium Magnum (or. XLIII c. 63, p. 818, vol. II, p. 580 Migne). Sequitur



Cassiodori ordo (var. l. VII, 15, Migne LXIX, p. 719), hunc Gregorii Turonensis enumeratio (in libello de cursu stellarum, ed. Krusch, monum. Germ. tom. I, p. II, p. 857). Proximus est Philo Byzantinus, quem non ante saeculum quintum floruisse Rohdenius, ut supra diximus, docuit, in libello illo de septem spectaculis. Excipit eum Nicetae dissertatiuncula (in schol. Gregor. Naz. or. 20. [fr. 20, p. 625 ed. Val. Rose] apud Cosmam ad carm. St. Greg. Naz. apud Murator. ep. CXI in A. Mai spic. rom. II, p. 221 sq.). Sequitur Nicetam Georgii Cedreni ordo (compend. histor. c. 81; Orell. p. 146). Anonymorum autem de septem spectaculis narratiunculae e codicibus excerptae omne spatium inde a decimo usque ad quintum decimum saeculum complectuntur, quorum antiquissimus est is, quem Bursianus in codic. Vatic. 4929 f. 149<sup>b</sup> (sc. X) inventum ad calcem Vibi Sequestris de fluminibus etc. libri edidit (p. 20).

Incertae aetatis est Ampelio quae tribuitur enumeratio (lib. mem. VIII, §§ 18—23). Ampelius enim utrum tertio p. Chr. n. saeculo adscribendus sit, quam sententiam Woefflinus professus est (de Ampelii libr. mem. diss. inaug. Gotting. 1854 p. 49), an aliquanto inferiore aetate fuerit, id quod praeter alios Rohdenio visum est (diss. p. 3), adhuc parum liquet. Ac ne Hyginianae quidem enumerationis aetas certis terminis circumscribi potest. Nam Hygini fabulae quo tempore conscriptae sint, etiamnunc in dubio est. Tantum dicere licet, si recte Dietzius<sup>6)</sup> contendit eundem esse auctorem libelli illius, qui inscribitur „poeticon astronomicon“, atque fabularum, post tertium saeculum fabulas compositas non esse, ita ut proximis p. Chr. n. saeculis ille ordo adsignandus videatur. Ceterum cum Hygini, Ampeli, Cassiodori, Vibianae appendicis catalogi eundem referant fontem — eum autem Varronis hebdomades esse infra demonstrabitur — haud ita magni momenti hanc de Hyginiani ordinis aetate quaestionem faciendam puto.

Beda quoque qui tribuitur septem miraculorum ordo (Orell. p. 147 ed. Basil. ap. Hervag. tom. I, p. 474 sq.) incertae est aetatis. Falso enim Bedae eum ordinem adscribi Orellius (Phil. Byz. p. 147 not.) iam vidit. Satis recentis aetatis dissertatiunculam illam esse

<sup>6)</sup> Quaestt. Hyginian. diss. Kiel 1889. — Archiv für lat. Lexicogr. VII, 1, 2, p. 305—306.

dicendi genus docet „barbarismis — ut Orelli verbis utar — et soloeismis scatens.“<sup>7)</sup>

Omnes hos ordines modo laudatos atque in tabula suffixa conscriptos si quis attente perlegerit, tria quasi genera eorum discernet. Quorum primum ex iis efficitur, quibus ea opera, quae antiquissima illa enumeratione (scil. Antipatri Sidonii) continentur, afferri videmus. Huc praeter ipsum Antipatrum referendi sunt Gregorius Nazianzenus (in epigrammate illo) et Philo Byzantinus. Alterum est genus eorum ordinum, in quibus quamvis antiqua eademque Graeca vel orientis opera, tamen non ea sunt, quae in prisco illo ordine, sed ea, quae illis nobilitate inferiora sunt, velut ara illa Delia, Thebae Aegyptiae, regia Echatanae, Minerva Phidiae, Memnonia, Pharos, Asclepius Epidaurius, ara Pari exstructa. Huc referendum Martialis epigramma, vel potius is ordo, qui illi ob oculos versatus est, anonymus de incredibilibus (Orell. p. 63), anonymi e codice Taurinensi (Orell. p. 145), quaeque inter se plane consentiunt atque ex uno fonte petitae sunt, Ampelii, Cassiodori, Hygini, appendicis Vibianae enumerationes.

Tertium genus est eorum ordinum, quibus pro antiquissimis illis iisque Graecis vel orientis miraculis recentiora eaque e parte quidem Romana enumerantur, velut Capitolium, Jovis templum Cyzicenum ab Antonino Pio renovatum, Bellerophontis statua, Myrae et Heracleae theatra, amphitheatrum Flavianum, Hagia Sophia, Apollonii balneum. Huic generi adscribendae sunt Gregorii Nazianzeni quae est in oratione illa in Basilium habita enumeratio, Nicetas, Beda qui vocatur, anecdota Graeca e Vatic. codice, Cedrenus.

Singularis quidam est Gregorii Turonensis ordo, quem tamen ad eundem quem Bedam fontem revocari posse infra demonstrabimus.

Quibus rebus in universum expositis age iam a primi quod instituius generis ordinibus profecti, e quibusnam operibus priscus ordo compositus fuerit, investigemus. Etenim nisi hac re absoluta, quo tempore canon septem spectaculorum constitutus sit, enucleari non poterit. Dico autem in prisco canone eadem opera fuisse, quibus primi generis ordines, scilicet Antipatri, Philonis,

<sup>7)</sup> Vide appendic. n. II.

Gregorii Nazianzeni, efficiuntur. Id ita se habere, si inter omnia opera, quae veterum testimoniis inter septem miracula referuntur, nullum esse demonstravero, quod ante illa miracula, quae in primi generis ordinibus enumerantur, canone receptum esse videri possit, facile mihi concedetur. Neque enim id cuiquam persuadebitur, si in antiquissimo canone, qualiscunque fuit, alia opera enumerata fuissent, quam quae Antipater, Gregorius Naz., Philo Byzantinus afferunt, futurum fuisse, ut eorum neque in ordinibus, qui nostrae memoriae servati sunt, neque ceteris veterum scriptorum locis, ubi de septem miraculis agitur, ulla mentio fieret. Neque id quisquam negaverit, universam copiam eorum operum, quae in orbe terrarum ante Antipatrum Graecis cognito praestantissima fuerint atque digna videri potuerint, quae canone septem miraculorum reciperentur, exhaustam esse in eis quos habemus ordinibus ceterisque veterum de septem miraculis notulis. Minime ergo ego dubito, quin ex ea ipsa quae nobis praesto est quasi materia antiquissimus ordo indagari possit. Atque, ut supra diximus, in primi generis ordinibus ea opera esse contendo, quae priscum canonem effecerint. Quae sententia, quamquam per se verisimillima est, tamen causis est firmanda. Nam Antipatrum, cuius ordo inter eos, qui nobis servati sunt, antiquissimus est, canonis nostri auctorem fuisse per se ipsum minime constat, nec sic temere dici potest inter ceteros ordines nullum e priore quam Antipatri enumeratione fluxisse.

Sed iam, ut sententiam propositam probemus, circumspiciamus, quatenus inter opera mirabilia ante Jovem Olympium, Ephesium templum, Rhodium colossus, murum Babylonium, hortum pensilem, Mausoleum, pyramides septem spectaculorum canonem efficere potuerint. Sunt ea solum Aegyptiae Thebae, Pharus, labyrinthus, ara Delia e cornibus exstructa, regia Cyri Ecbatanae. Cetera omnia opera, quae umquam inter septem miracula numerata esse videntur, tam aperte in prisco canone non fuerunt, ut de eis verba facere iure supersedeamus.

Et primum quidem Aegyptias Thebas non primitus inter septem orbis miracula fuisse, quamvis antiquae fuerint, eo ipso virisimile fit, quod duobus tantum ordinibus afferuntur, eisque satis recentibus, Gregorii Naz. et Nicetae (V et VI in tabula suffixa), qui quin ex eodem fonte sua petita habeant, in tanto et rerum et ordinis consensu dubitare non licet, ita ut revera unius instar illae

enumerationes habendae sint. Qui fons licet non contemnendae aetatis fuerit — Gregorium enim haud ignarum fuisse antiquorum ordinum epigramma illud docet — tamen ego Thebas Aegyptias antiquitas inter septem miracula fuisse praeferre nego. Nam in prisco canone, qualiscunque fuit, singula opera, non totas urbes fuisse mihi certissimum est cetera miracula, quae in antiquissimis ordinibus sunt, respicienti. Atque id quidem nemo non concedet, si in prisco canone totae urbes — urbs autem quasi congeries est multorum operum mirabilium — fuissent, ad singula pro illis miracula canonis inserenda vix quemquam descensurum fuisse. Contra quid magis consentaneum, quam posteros, cum nonnumquam eiusdem urbis complura opera inter septem miracula recepta viderent (velut ex urbe Babylone et murus et hortus pensilis et teste Didoro (I, 11) Semiramidis obeliscus illo honore digni iudicati erant), dubitarentque, quidnam ex iis praestantissimum existimandum esset, atque totam urbem singulis operibus magis admirandam ducerent, totas urbes canonis inseruisse? Accedit, quod, ut infra fusius demonstrabitur, aliae erant praeter septem miracula proprie dicta mirarum rerum enumerationes, in quibus urbes fuisse verisimile est, unde urbes in septem quoque miraculorum ordines irrepsisse videntur. Quibus rebus satis probatum esse confido Thebas Aegyptias in prisco quidem canone non fuisse.

Sequitur Pharos Alexandrinus, qui in eis tantum ordinibus est, in quibus desunt pyramides, scilicet apud anonymum alterum e codice Ambros. (vide tabul. suff. XIII), Bedam (X), Gregorium Turonensem (XI)<sup>8</sup>). Quaeritur, utrum pyramides an Pharos prius in canone septem miraculorum fuerint. Pyramides autem prius ad eum honorem propectas esse, in tanto de pyramidibus inter septem miracula numerandis consensu ceterorum omnium quos habemus ordinum certissimum est.

Tertium inter ea opera, quae in prisco canone fuisse videri possunt, est labyrinthus isque Aegyptius. Nam e quattuor illis labyrinthis, quos Plinius (hist. nat. XXXVI. § 64 sqq.) describit, si

<sup>8</sup>) Georgius Cedrenus (l. l. comp. hist. c. 81) et Pharum et pyramides affert itemque alter ex anonymis Ambrosianis. Sed id nullius momenti facendum puto, quia et Cedrenus et anonymus ille octo miracula enumerant, ita ut, num inter septem quoque miracula pyramides illi enumeraturi fuerint, maxime dubium sit.

ullum, solum Aegyptium tanti honoris participem fieri potuisse nemo est quin intellegat. Longe enim praestantissimus ille labyrinthus erat. Id aedificium in prisco canone fuisse, quamquam in nullo septem spectaculorum catalogo est, ex eo coniecerit aliquis, quod et ab Herodoto (II, 148) et a Strabone (XVII, 811 C.) idemque a Plinio (I. I.) et Diodoro (I, 61) summis laudibus effertur, atque etiam ab Herodoto et Strabone non minore quam pyramides honore dignus iudicatur. Sed cave huic rei nimium tribuas idque in Aegyptiis potissimum miraculis. Nam tot erant in Aegypto mira opera, ut, si ea omnia in prisco canone fuissent, ceteris orbis spectaculis locus relictus iam non esset. Unum ex Aegypti miraculis eligi oportebat idque primitus pyramides fuisse satis constat. Et quod Herodotus expressis verbis labyrinthum aequae atque pyramides immo magis illis admirandum dicit, id quam parvi ad hanc de septem miraculis quaestionem momenti sit, ex eo apparet, quod ne Moeridis quidem lacum pyramidibus atque labyrintho inferiorem habendum esse ille praedicat. Moeridis autem lacum nunquam inter septem miracula numeratum esse certissimum est. Adde, quod Strabo, qui Herodotum, ut videtur, secutus ipse quoque labyrinthum in eodem quo pyramides honore habendum esse affirmat (I. I.), ne verbum quidem de labyrintho inter septem miracula relato dicit, pyramides in eo canone esse nominatim profitetur (XVII, p. 808 C.). Atque omnino id maximi momenti est, quod non solum in nullo septem miraculorum catalogo labyrinthum afferri videmus, sed ne ceteris quidem veterum de labyrintho locis inter septem miracula eum aut esse aut fuisse traditum legimus (cf. II. II.; Mela I, 9, 5). Neque id accuratius rem perspicienti mirum videri potest, alia opera quamvis labyrintho artificio non praestantiora illi antehabita esse. Namque ipso aspectu pyramides, murus Babylonius, templum Ephesium, hortus pensilis, Rhodius colossus, Juppiter Olympius movebant spectantium animos, labyrinthum nisi qui intrarat singulaque perspexerat, haud ita admiratus esse videtur, cuius rei testem habeo Diodorum, qui lib. I, 61 labyrinthum *οὐχ οἶνω καὶ τὸ μέγεθος τῶν ἔργων θαυμαστόν, ὥς πρὸς τὴν φιλοτιμίαν δοσιμήτων* fuisse dicit. Praeterea, si labyrinthus in prisco canone locum habuisset, futurum fuisse, ut plane eius memoria in septem miraculorum ordinibus evanesceret, mihi quidem nullo modo persuaderetur.

Restat, ut de ara Delia atque de regia Cyri Ecbatanae exstructa verba faciamus atque, num ea opera in prisco canone fuerint, quaeramus. Qua de re hoc loco tantum dicere satis est nec duo illa miracula in uno umquam septem miraculorum ordine simul apparere, et in eis, quibus alterum ex illis operibus affertur, hortum pensilem desiderari, in quibus autem ordinibus hortus pensilis est, in eis deesse et aram Deliam et regiam Cyri (cf. tab. suff. I, II, III, IV). Apparet aut hortum pensilem aut aram Deliam vel regiam Cyri in prisco canone fuisse. Quodnam autem ex eis operibus primitus inter septem miracula fuerit, cum ad tempus, quo canon constitutus videatur, definiendum nihil valeat, paulo infra demonstrandum hoc loco omittamus. Tantum enucleasse in praesens satis habeo in prisco canone Jovem Olympium, murum Babylonium, Rhodium colossus, Ephesium Dianae templum, pyramides<sup>9)</sup>, hortum pensilem vel aram Deliam vel regiam Ecbatanae fuisse.

Qua re probata age iam quonam tempore septem miraculorum canon constitutus sit, disceptemus.

Et id quidem per se ipsum apparet terminum, ante quem canon ille compositus esse non possit, id tempus esse, quo novissimum inter illa miracula exstiterit. Is autem est Rhodius colossus, quem intra annos 290 et 280 a. Ch. n. exstructum esse constat. (Brunn, Gesch. d. gr. K. I, 415—416). Ergo ante illud tempus canon noster constitui non potuit. Sed etiam ad terminum, post quem exstare non potuerit, enucleandum haud scio an iure idem ille colossus adhiberi possit. Sed priusquam ad eam rem disquirendam accedamus, paulo altius repetamus et de nomine, quo septem illa opera primitus appellata esse videantur, nonnulla disseramus oportet.

*Τὰ ἐντὰ θεάματα* canonis nomen fuisse dico. Cuius rei gravissimum documentum hoc est, quod in Graecis potissimum enumerationibus iisque antiqua opera continentibus „*θεάματα*“ septem

<sup>9)</sup> Et quidem duas maiores de tribus illis Memphiticis pyramidibus. Testes sunt Strabo (XVII, p. 808 C.) et anonymus de incred., cum dicit: *πυραμίδες, ὧν ἡ μείζων κ. τ. λ.* Contra Diodorus (I, 63) tres illas pyramides in canone esse dicit. Sed praeterquam quod Straboni maior fides habenda quam Diodoro, primitus quidem duas tantum pyramides canone receptas fuisse Diodori loco non refellitur, quippe quo nihil ultra demonstretur, quam a posteris tertiam pyramidem adiectam esse.

illa opera nuncupantur, velut apud Philonem Byzantinum, anonymum de incredibilibus (Orell. p. 63), anonymos e codice Ambrosiano. Inter ceteros quoque scriptores ii potissimum illud nomen adhibent, qui unum alterumve ex antiquissimo illo ordine miraculorum afferunt; velut Strabo, ubi de pyramidibus verba facit (XVII, p. 808 C.), *ἐν τοῖς ἐπὶ θεάμασιν* illas numerari dicit idemque nomen, ubi de muro Babylonio hortoque pensili (XVI, p. 738 C) atque de Rhodio colosso (XIV, p. 652 C.) et de Mausoleo (XIV, 656 C.) loquitur, adhibet. Eustathius quoque (ad Dionys. Perieg. v. 505) Rhodium colossus *τῶν ἐπὶ θεαμάτων* fuisse dicit.

Nec non inter Latinos scriptores ii, qui Graecos fontes secuti antiquissima de canone nostro opera afferunt, „spectacula“ septem illa miracula appellant. Velut Vitruvius, quem plane e Graecis auctoribus pendere constat, Mausoleum (I. II, 8, p. 11) inter septem spectacula numerari prodit idemque lib. VII (praef.) ut septem spectaculis adscriptum memorat. Gellius quoque (X, 18, 4) Mausoleum inter septem omnium terrarum spectacula numerari auctor est.

Sunt sane alii canonis nostri, ut ita dicam, tituli, inter quos apud Graecos scriptores creberrimus est „*τὰ ἐπὶ θαύματα*“ vel „*τοῦ κόσμου θαύματα*“ (Gregor. Naz. in epigr. supra laudato; Nice-tas, Orell. p. 144), apud Latinos septem mira vel miracula (addita nonnumquam voce „mundi“) vel opera mirabilia (Sen. dial. de consol. ad Polyb. 1, 1; Plinius XXXVI, 4, 30; Gell. III, 10, 16; Beda Venerabil. ed. Basil. ap. Hervag. tom. I, p. 474 sq.; Vib. Seq. append. Burs. p. 20; Cassiod. var. l. VII, 15). Alio nomine utitur Diodorus; is enim l. I, 63 pyramides *ἐν τοῖς ἐπὶ τοῖς ἐπιφανέστατοις ἔργοις* numerari dicit, l. II, 11 obeliscum Semiramidis *ἐν τοῖς ἐπὶ κατονομαζομένοις ἔργοις*. Sed haec omnia nomina a posteris canonis indita esse mihi persuasum est. Nam id quidem nemo non potest intellegere „*θεαμάτων*“ nomen optimo iure a posteris mutari potuisse voce „*θαύματα*“ vel „*ἐπιφανέστατα ἔργα*“, quas significationes ipsas quoque Latini scriptores a Graecis petitas adhibebant. Contra si primitus septem illa opera *θαύματα* vel *ἐπιφανέστατα ἔργα* appellata fuissent, neminem „*θεάματα*“ nomen substitutum fuisse per se intellegitur.

Quodsi priscum canonis nostri nomen *τὰ ἐπὶ θεάματα* fuisse probatum est, nego equidem futurum fuisse, ut id nomen septem illis operibus inderetur, nisi eo tempore canon constitutus esset,

quo illa opera, quae priscum canonem effecerunt, revera *ῥεαίσματα* erant, i. e., quo et digna erant, quae spectarentur, et spectari potuerunt, id quod nisi eo tempore, quo integra steterunt, fieri non potuit. Cuius sententiae praeclarum testem habeo Philonem Byzantinum. Is enim in libello illo, quem de septem spectaculis composuit, opera, quibus eum canonem effici dicit, tamquam ea describit, quae salva sint, oculisque videri possint, atque in prooemio diserte profitetur, si quis longinqui itineris pericula atque labores suscipere velit, eum septem opera illa suis oculis spectare posse. Tamen illius aetate — scilicet exeunte quinto vel ineunte sexto saeculo — Rhodius quidem colossus a Charete exstructus<sup>19)</sup> iamdudum salvus non erat, Jovis autem Olympii statua aut destructa erat aut certe Olympiae iam non exstabat, ubi tamen Philo eam esse in prooemio dicit, sed Constantinopolim aucta erat. (Brunn K. G. I, 177). Quid ergo? Rhetorica vaniloquentia Philonemne opera illa tamquam sua quoque aetate integra tantis laudibus efferre putemus? Quo nihil video minus verisimile. Ita tantum res explicari poterit, ut ex eo fonte Philonem sua hausisse dicamus, qui aut ipse eo tempore conscriptus fuerit, quo revera illa opera salva erant, aut eius aetatis auctorem rettulerit. Ita se rem habere eo ipso verisimile est, quod tam antiqua illa opera enumerat.

Ceterum etiamsi revera Philo opera illa ad suam aetatem integra servata finxisse putandus esset, quam sententiam reiiciendam supra diximus, Philonem id non facturum fuisse iudicarem, nisi in veterum libris miracula illa tamquam ea celebrata vidisset, quae revera *ῥεαίσματα* essent.

Itaque Philonis de septem spectaculis libello probari dico *τὸν ἐπὶ ῥεαίσματων* canonem eo tempore constitutum esse, quo opera

<sup>19)</sup> Eum autem a Philone spectari pro certo affirmaverim. Licet enim recte viderit Luedersius (Koloss von Rhodus. Hambg. 1865, p. 19—21), cum colossus illum, qui a. 227 a. Chr. n. collapsus sit, altero p. Ch. n. saeculo resuscitatum esse dicit, tamen, quin non restauratum illum colossus Philo describat, mihi quidem minime dubium videtur. Nam totam illam quae apud Philonem est de colossi constructione descriptionem non ad collapsae statuae restorationem quadrare nemo non videt. Praeterea ei scriptori, qui antiquum septem miraculorum ordinem praebeat, etiam antiqua, non recentia opera ob oculos versata esse per se consentaneum est.



illa, quae priscum canonem effecerunt, salva atque integra steterunt. Salvus autem Rhodius colossus post annum 222 a. Chr. n., quo anno terrae motu concidit (cf. Brunn l. l. p. 415 sq. ed. alt. 291), iam non erat. Quare probatum esse opinor intra annos 290 et 222 a. Chr. n. canonem septem spectaculorum compositum esse. Et id quidem iam Starkius (Eos I, p. 346) vidit. Sed accuratius rem causis firmare ille quidem supersedit.

Jam tempore, quo canon noster constitutus videatur, enucleato priusquam, a quonam compositus sit, investigemus, absolvamus oportet, quod supra in dubio reliquimus, scilicet quodnam de tribus illis operibus: ara Delia, horto pensili, regia Cyri Ecbatanae, in prisco canone fuerit. Et id quidem iam supra docuimus, in nullo septem miraculorum ordine tria illa miracula simul enumerari, sed in quibus unum ex eis sit, in eis altera duo desiderari. Ex ea ipsa re probabile fieri mihi videtur hortum pensilem in prisco canone fuisse. Nam id quidem maxime consentaneum est, cum ex una urbe Babylone duo miracula tanto honore digna iudicata esse, ut in septem spectaculorum ordine essent, posteri moleste ferrent, remoto altero ex Babyloniis miraculis ex alia terra miraculum substitutum esse; contra si in prisco canone Ecbatanae regia fuisset vel ara Delia, futurum fuisse, ut hac vel illa remota alterum ex urbe Babylone opus canonem insereretur, id vix cuiquam persuaderi poterit.

Sed iam, num per se ipsae regia Ecbatanae atque ara Delia ea opera iudicanda sint, quae in prisco canone fuisse videri possint, disquiramus.

Et de Cyri quidem regia quominus id credamus eo impedimur, quod eo tempore, quo canonem septem spectaculorum compositum esse diximus, regia illa *ῥέαμα* iam non erat. Id ex eo iure conicias, quod regiam illam primum ab Alexandro Magno, deinde ab Seleuco atque Antigono maximam partem deletam atque mira illa argenti atque auri copia orbatam esse constat,<sup>11)</sup> ita ut tertio a. Chr. n. saeculo ceteris quae in prisco canone erant miraculis miro aspectu par iam non esset. Et licet eodem Polybio

<sup>11)</sup> Polyb. X, 27: τούτων δὲ τὰ μὲν πλείοντα συνέβη λεπιδόγηνα κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρου καὶ Μακεδόνων ἐφοδόν, τὰ δὲ λοιπὰ κατὰ τὴν Ἀντιγόνου καὶ Σελεύκου τοῦ Νικατοροῦς δυναστείαν. — Aelian. v. h. VII, 8.

auctore aliquanto inferiore aetate pars regiae integra fuerit, tamen si „τὰ πλείονα“ dempta erant, digna illa regia iam non erat, quae Ephesio templo, Jovis Olympii statuæ, Mausoleo tamquam aequè admirandum miraculum adiungeretur. Posteris autem, qui Graecorum fabulis mirifice illam regiam descriptam atque in maius auctam legerent, (cf. Polyb. l. l.) aliter visum ab iisque, quamquam „spectaculum“ non erat, regia illa canoni inserta est.

Ac ne Deliae quidem arae e boum vel caprorum cornibus ab ipso Apolline exstructae<sup>12)</sup> in prisco canone locum fuissè dico, quamquam ultima vetustate eam aram celeberrimam fuisse praeter Homerum (Od. VI, 162—163) testis est Callimachus (hymn. in Apoll. v. 58 sq.) Nam illa ara non tam ob formae praestantiam atque ingentem magnitudinem, quam propter divinam originem atque miram constructionem celebrata fuisse videtur<sup>13)</sup>. Quare non eodem modo ara illa *Θέαμα* erat, quo Juppiter Olympius, Mausoleum ceteraque quae in prisco canone erant opera; maximeque id respiciendum est, quod dei manibus illa ara exstructa putabatur. Dei autem artificium humanae artis monumentis in prisco quidem canone adiunctum fuisse mihi minime verisimile videtur<sup>14)</sup>.

Quae si recte disputavi, nec regiam Ecbatanae nec aram Deliam primitus inter septem spectacula fuisse demonstratum est erantque in prisco canone haec opera: Juppiter Olympius, Rhodius colossus, hortus pensilis, murus Babylonius, pyramides, Mausoleum, Ephesium Dianae templum. Sunt autem haec opera eadem, quae

<sup>12)</sup> cf. Ovid. Heroid. XXI, 81—106. Plut. Thes. 21, sollert. anim. p. 983. Polyb. XXVI, 10, 12. Homolle: L'autel de cornes à Delos. Bull. d. corr. Hell. VII (1884) p. 417 sq. — E dextris an sinistris cornibus ara illa exstructa fuerit, parum constat. Plutarchus ipse sibi obloquitur, cum Thes. c. 21 sinistra, soll. anim. p. 983 dextra cornua intellegenda dicit. Ceterum de variis de ara illa Graecorum fabulis, quas recte Homolle (l. l. p. 434) „bagatelles mythologiques“ appellare mihi videtur, de quibus fusius disserere meum non est, vide Homolle p. 434.

<sup>13)</sup> Homolle l. l. p. 433: en effet l'intervention d'Apollon et la singularité et la difficulté de son ouvrage bien plus que ses dimensions ou sa beauté semblent avoir valu à l'autel de Delos l'honneur de figurer parmi les curiosités du monde. — Plut. soll. an. l. l.

<sup>14)</sup> Ceterum non omittendum quod apud Plut. (l. l.) legitur: *εἶδον δὲ καὶ τὸν κερκίρειος βωμὸν ἐν τοῖς ἐκτὰ Θέαμασιν ὑμνούμενον*. Eo enim apparet plura de septem miraculis veterum epigrammata fuisse.

in primi quod institutuimus generis ordinibus, scilicet Antipatri, Gregorii Naz., Philonis Byzantini afferuntur.

Jam quoniam, quae opera in prisco canone fuerint, quoque tempore canon septem spectaculorum compositus sit, statuimus, quisnam eius auctor fuerit, disquiramus.

Qua in re, si, quam studiosi Alexandrini et rerum mirabilium congerendarum et hebdomadum constituendarum fuerint, tenueris, quin ab illis septem spectaculorum canon profectus sit, dubitare non poteris. Et in res mirabiles quidem Alexandrinos vel maxime studia sua contulisse, ut alia omittam, maximo documento est Callimachi ille liber, qui „*Θαυμάτων τῶν εἰς ἅπασαν τὴν γῆν κατὰ τόπους ὄντων συναγωγή*“ inscribitur, quo non solum naturae miracula, sicut in plerisque aliis paradoxographis (cf. Westermann praef. in paradoxogr. graecc. Brunsv. 1839) descripta fuisse, sed etiam praestantissimorum operum humana arte confectorum rationem habitam fuisse eo verisimilius est, quod etiam in Ampelli libri memorialis octavo capite, quod sine dubio talem *Θαυμάτων κατὰ τόπους συναγωγήν* refert eamque haud spernendae aetatis (Rohden, diss. p. 18), artis nonnulla miracula enumerantur, velut Minerva a Phidia sculpta, Ephesium templum, Lysippi in insula Rhodo Apollo. Sed quid omnino minus consentaneum, quam Alexandrinos, cum in omne genus rerum mirabilium inquirerent atque naturae, historiae, hominum vitae miracula diligentissime congererent, sola artis opera, quae essent admiratione maxima digna, neglexisse? Nec certa desunt veterum testimonia, quibus haec mea sententia firmetur. Exstabat enim ipsius Callimachi de Jovis Olympii statua a Phidia sculpta epigramma, cuius rei testis est Strabo (VIII, p. 353 C), et haud scio an recte Starkius (l. l. p. 384) illud quoque de colosso Rhodio epigramma, quod ipsum quoque Strabo laudat (XIV, p. 650 C), Callimacho tribuerit. Quod si ita se habet Callimachumque iam operum mirabilium hominum artificio confectorum rationem habuisse demonstratum est, quanti in tanta Callimachi apud posteros auctoritate haec res momenti sit, nemo non intellegit. Maxima probabilitas sententiae nostrae, qua tertio a. Chr. n. saeculo canonem septem miraculorum compositum esse diximus, ex ea ipsa re accedit.

Hebdomades autem apud Alexandrinos usitatissimas fuisse tam ab omni dubitatione remotum est, ut vix multa de ea re verba

mihi facienda ducam. Cuius rei praeclarissimum documentum sunt pleiades illae quae vocantur, altera tragicorum poetarum, altera communis tragicorum et comicorum aliorumque. Sed lyricorum quoque hebdomadem itemque urbium illarum, quae Homerum civem sibi vindicabant, ab Alexandrinis constitutam esse eo ipso evincitur, quod cum omnium poetarum (cf. Brzoska de canone decem oratorum diss. inaug. Vratisl. 1883 p. 8 sqq.), tum Homeri studia Alexandriae maxime viguisse prope decantatum est. Septem sapientium quoque canonem, quamvis non ab Alexandrinis, sed, ut videtur, a sophistis constitutum ab illis non neglectum fuisse et Demetrii Phalerei et Hermippi Callimachei de illis opera documento sunt. Ille enim τὰ τῶν ἐπὶ ἀποφθέγματα collegit (cf. Bohren de septem sapientibus diss. inaug. Bonnae 1867 p. 5)<sup>15</sup>, hic περὶ τῶν ἐπὶ σοφῶν librum composuit. Quin etiam Callimachus in scriptis suis septem sapientium collegium memorat. Choliambos enim de illis composuit, quorum sunt fragmenta collecta in appendice Babrii Lachmanniani (Berol. 1845, 8<sup>o</sup>, p. 153—169). Praeterea, ut monet Bohrenius (diss. p. 9) etiam in eo opere Callimachi, quod inscribitur πινάκις τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμπάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, septem sapientes enumeratos fuisse verisimile est.

Jam satis me demonstrasse puto ab Alexandrinis canonem nostrum compositum esse idque, ut supra iam docuimus, tertio a. Chr. n. saeculo. Neque huic sententiae obstare dico, quod Brzoska (l. l. p. 9) canonum constituendorum initium ab Aristophane demum atque ab Aristarcho, illius discipulo, factum esse demonstrat, quam ob rem pleiadas quoque post Aristarchum compositas esse dicit. Sed quid illis canonibus est cum nostro commune? Idemne est e priorum poetarum turba praestantissimos litterario iudicio selectos canone complecti, ne posterius, quosnam sequantur, dubii sint, et ex humanae artis operibus ea, quae omnibus, non solum artis iudicio praeditis, praestantissima videantur, conquisita septenario numero circumscribere? Sed licet canonum instituendorum mos ab Aristarcho profectus sit, hebdomades certe aliquanto ante illius aetatem exstiterunt, id quod ipsa illa septem sapientium hebdomade satis probatur. Accedit hebdomas illa urbium, quae Homerum ex

<sup>15</sup>) Novissimus de ea re egit J. Stanjek de sententiarum VII sapientium collect. Vratisl. 1891.

se quaeque ortum contendebant, quae est in epigrammate illo nobilissimo (Anthol. Planud. IV, 297 et 298). Id epigramma Homeri cuidam statuae illarum urbium simulacris circumdatae, quam Ptolemaeus Philopator in Homeri templo dicaverat, inscriptum fuisse Welckerus (Ep. Cycl. I, 194; cf. etiam Brunn K. G. II, p. 288; ed. alt. p. 194) ad summam adduxit probabilitatem. Ptolemaeus autem ante Aristarchum fuisse constat, ita ut ea quoque re Brzoskae sententiam ad nos quidem nihil valere appareat.

Jam si Alexandrinos spectaculorum canonis auctores fuisse probatum est, circumspicientibus nobis, quisnam canonis constitutor fuisse videatur, primus occurrit Callimachus eumque fuisse Starkius (l. l. p. 384, not. 5) iam suspicatus est. Et profecto, si a Callimacho epigramma illud de Jovis Olympii statua (Strabo VIII, p. 652 C.) compositum atque illa *Θαύματα κατὰ τόπους* congesta tenuerimus eamque rem respexerimus, quod, ut supra diximus, in *πίναξιν* illis *τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμπάντων* choliambi erant Callimachi de septem sapientibus, nihil probabilius esse Starkii sententia concedendum nobis erit. Nec tamen certi quicquam de ea re statui potest. Atque si revera Callimacheae originis canon noster est, tamen, an in illa *Θαυμάτων συναγωγῇ* septem spectaculis locus fuerit, mihi quidem maxime dubium est. Nam si in illum *κατὰ τόπους* miraculorum ordinem inserta fuissent septem illa spectacula, certe non satis insignia fuissent. Immo e tali multorum miraculorum congerie eximenda atque a ceteris separanda erant. Quare Callimachum septem illa spectacula aut a ceteris miraculis ut praestantissima seiuncta libro suo suffixisse aut omnino in illo libro non attulisse dico. Ceterum Callimachum, si revera canonis nostri auctor putandus est, epigrammate septem illa spectacula celebrasse illos de Jove Olympio versus respicienti verisimillimum mihi videtur.

Restat, ut de ratione, quae in operibus ad illum canonem efficiendum eligendis valuerit, nonnulla disseramus. Et id quidem supra iam docuimus ea solum opera ad tantum honorem esse admissa, quae revera „*Θαύματα*“ essent, i. e. et digna essent, quae spectarentur, et spectari possent, non ea, quae veterum tantum libris ut praestantissima celebrata essent. Ea, quae suae aetatis lumina essent opera quaeque omnium tum mortalium ore tamquam praeclarissima ferebantur, is, qui canonem nostrum composuit, ele-

git. Eaque ipsa res haud scio an poeticae illius canonis originis documentum sit. Neque id negligendum est, non unius terrae miracula canone nostro recepta esse, non solum Graeca nec solum barbara, sed totius orbis terrarum praeclarissima opera, id quod ipsum Alexandrinorum demum aetate septem spectaculorum canonem exstitisse clamat. (cf. Stark l. l. p. 346).

Atque accuratius nobis spectantibus, qualia illa prisci canonis opera fuerint, haec statuenda erunt: sunt ea, quae non solo artificio ceteris operibus praestiterunt, sed in quibus immanis moles atque ingens ambitus cum artificio vel formae pulchritudine iuncta erant. Nam pyramides, murus Babylonius, hortus pensilis non solum magnitudine atque ambitu movebant spectantium animos, sed etiam miro quodam artificio constructa erant, itemque Jovis Olympii statua, Rhodius colossus, Mausoleum, Ephesiae Dianae templum, pyramides artificio quidem multis aliis paria, mole superiora erant. Neque quod Plinius (hist. nat. XXXVI § 30) Scopae aliorumque artificio factum esse dicit, ut Mausoleum inter septem miracula esset, id nostrae sententiae contrarium est: quippe non tam mira erat ipsius aedificii moles, ut sine Scopae ceterorumque qui Mausoleum sculpturis exornare artificum meritis dignum videretur, quod septem miraculis adscriberetur. Sane, ut tanti honoris particeps fieret, illorum artificio opus erat. Quare Plinii ille locus ab eo, quod supra diximus, minime discrepat.

Id quoque monendum opera illa, e quibus priscus canon constiterit, humana arte atque ratione, non deorum numine nec naturae miraculo effecta fuisse. Rebus *παράδοξοις* vel *ἀνίστοις*, quas vocant Graeci, in prisco canone locus non erat. Quare in quibus septem spectaculorum enumerationibus tales res sunt (velut ara Delia), eae ob hoc ipsum inferioris aetatis habendae sunt.

Atque ut gravissima ex iis comprehendamus, quae hac parte dissertationis nostrae statuimus, priscus canon, quo opera supra enumerata continebantur, intra annos 290—222 a. Chr. n. Alexandrinorum aliquo constitutus est. Videtur autem eius canonis auctor Callimachus fuisse, eumque versibus<sup>16)</sup> opera illa celebrasse verisimile est.

<sup>16)</sup> Qui utrum iambici au dactyli fuerint, in dubio relinquendum est. „*ῥεῦμα*“ quidem vox aequae iambico ac dactylico metro accomodari potuit.

## II.

Venio nunc ad alteram partem dissertationis, qua, quo tempore ab antiquissimo illo canone variari coeptum sit, quaeque a posteris Alexandrina aetate nova substituta sint opera, disceptandum mihi est.

Qua in re consentaneum est eum ordinem, qui prisco illi canoni simillimus sit, antiquissimam earum enumerationum referre, quae variando a prisco canone effectae sint. Simillimus autem prisco canoni is ordo est, quem Hyginus qui dicitur (f. 222, p. 311 ed. M. Schmidt) memoriae prodidit, quocum paene verbis consentiunt eae enumerationes, quas Ampelius (lib. mem. c. VIII §§ 18 — 23 ed. Woelfflin.), Vibii Sequestris de flum. etc. libri appendix e codice Vaticano 4929 fol. 149<sup>b</sup> ed. Bursian p. 20, Cassiodorus (var. l. VII, 15) praebent. Ea enumeratio praeterquam quod ordine, quo singula inter se miracula excipiunt, a prisco illo canone, qualis est apud Antipatrum, Gregorium, Philonem, discrepat, eo solum ab illo differt, quod pro horto pensili regiam Cyri Ecbatanae a Memnone exstructam, de qua supra iam fusius disseruimus, substitutam videmus. Illas omnes de septem miraculis dissertationunculas (Ampelii, Hygini, Vibianam, Cassiodori) ex uno eodemque fonte petitas esse in tanto et rerum et verborum consensu nemo est, quin intellegat. Eum fontem Varronis hebdomades fuisse primus Maur. Schmidtius vidit (Mus. Rhen. p. 298), Bursianus (in *Fleckeiseni annal.* XCIII 1866, p. 781) assensus est, novissimus Rohdenius (diss. p. 8 not. 13 rem ita se habere affirmavit. Quae sententia, quamquam certis atque indubitatis argumentis vix poterit probari, tamen his causis firmari posse mihi videtur:

Et primum quidem in Varronis imaginum libris, quibus statuariorum, pictorum, medicorum graecorum hebdomades enumeratae erant (cfr. Ritschl opusc. c. III, p. 508—592), ne septem miracula quidem omissa fuisse cum per se consentaneum sit, tum expressis Gellii (III, 10, 16), et Ausonii (Mos. 306/7) verbis firmatur<sup>17)</sup>. Quodsi ita se res habet, vix credibile est futurum fuisse, ut Varronis,

<sup>17)</sup> Gellius l. I.: Varro . . . . ibidem (libro primo hebdomadam) congerit frigidiuscula: veluti septem opera esse in orbe terrae miranda. — Ausonius l. I.: forsitan et insignes hominumque operumque labores / hic habuit decimo celebrata volumine Marci / hebdomas. — cfr.: Ritschl: Mus. Rhen. XIII, 1858 p. 460—477. — Mercklin Philol. XIII, p. 744 sqq.

principis illius grammaticorum Latinorum, ordo a nullo posteriorum grammaticorum memoriae proderetur. Immo verisimile, quin etiam necesse est, eam potissimum septem miraculorum enumerationem quam Varro praeberit, sive ipse eam composuerat, sive e Graeco fonte hauserat, Latinos grammaticos maxima cum pietate servasse<sup>18)</sup>. Id ipsum igitur sententiae nostrae, qua Hygini ceterorumque septem miraculorum ordines e Varronis hebdomadibus fluxisse diximus, maximo documento est. Accedit, quod Hyginus ordinem suum non solum, sed aliis (septem sapientium, septem lyricorum) adiunctum affert, quae res ipsa quoque Varronis hebdomades respicere videtur. Gravissimum vero est, quod Cassiodorius, quem ipsum quoque illum ordinem praebere supra commemoravimus, apud prisci saeculi narratores se eum invenisse profitetur (var. VII, 15: „ferunt prisci saeculi narratores fabricarum septem tantum terris attributa miracula.“) Ei narratores quin Latini, non Graeci intellegendi sint, id dubitari non potest, quod solum apud Latinos, nusquam apud Graecos scriptores ordo ille repertus est. Latinos autem auctores si Cassiodorius secutus est, certe non ex eis sua deprompsit, qui ante Varronem erant, (nam post Varronem eorum grammaticorum, qui ante illum floruerunt, neminem iam rationem habuisse mihi quidem certissimum est), sed ex ipso Varrone iisve, qui post Varronem extiterunt.

Quare si prisci saeculi illi narratores erant, — priscum autem saeculum nisi id, quod aliquanto spatio remotum esset, Cassiodorius appellare non potuisse<sup>19)</sup> per se intellegitur — nec tamen ante Varronem fuisse putandi sunt, relinquitur, ut ad ipsius Varronis eorum

<sup>18)</sup> Aliter res se habere videtur de poetis. Ii enim in ipsis Graecis plurimaeque nituntur; velut Prop. III, 2. Martial. spectac. I, 1.

<sup>19)</sup> Voce „priscus“ Tacitum quidem liberae reipublicae tempora significare haud fugit. Sed ex ea re Cassiodorium eadem ratione illa voce usum esse conicere minime licet. Nam praeterquam quod ipsorum temporum ratione habita quae aetas Tacito prisca erant, ea non erat Cassiodorio, id quoque respiciendum, quod propria quaedam est apud Tacitum „prisci“ vocis vis. Namque eis tantum locis Tacitus ea utitur, ubi de animi nonnullis virtutibus loquitur quibus illius quidem sententia liberae reipublicae homines maxime floruerant id quod satis consentaneum in homine tanto, quanto Tacitus, liberae reipublicae studio inflammato. cfr. histor. I, 83, ann. VI, 13; XI, 25: prisca severitas; ann. III, 69: prisca sanctimonia. VI, 32: prisca virtus.



que, qui eius aetati proximi erant tempora Cassiodori verba spectent. Adde, quod Varronis scripta Cassiodorium satis cognosse ex nonnullis locis, qui sunt in eius de disciplinis libris, apparet. Velut in praef. p. 528 ed. Gare haec leguntur: „scire autem debemus, sicut Varro dixit, utilitatis alicuius causa omnium artium exstitisse principia.“ De musica autem p. 557 Gar. haec sunt Cassiodori verba: in quibus (tonis), ut Varro meminit, tantae utilitatis vis ostensa est, ut sqq.

Sic iam ad summam probabilitatem adductum esse puto, Cassiodorium ex Varronis hebdomadibus suum ordinem deprompsisse. Quem cum non solum apud Varronem, sed etiam apud complures alios scriptores invenisset, apud prisci saeculi narratores (plur.) se vidisse dicit.

Jam quaerendum est, utrum a Graecis Varro illum ordinem receperit, an ipse composuerit. Qua de re priusquam certi quicquam statuamus, num omnino ante Varronem de prisco canone variatum sit, investigemus oportet.

Et primum quidem in universum spectanti inde ab eo tempore, quo canonem septem spectaculorum constitutum esse diximus (i. e. tertio a. Chr. n. saeculo) usque ad Varronis aetatem a prisco illo ordine non variatum esse nullo modo mihi persuaderi potest, cum respicio, quantam singularum urbium atque terrarum ambitionem, qua sua quaeque opera canone recipi cupiebant, exarsisse necesse sit, et quantum singulorum atque imprimis virorum doctorum dissensum fuisse consentaneum sit, quo aliis alia opera canonis inserenda videbantur, ut quaeque in veterum libris celebrata legebant. Atque huic sententiae praeclaro documento est septem sapientium canon. Etenim de eo satis prisca aetate tantum dissensum ortum esse constat, ut iam Hermippi Callimachei temporibus septendecim viri fuerint, e quibus septem ab aliis aliter ad canonem efficiendum electi sint. (Bohren diss. p. 25 sq.). Universus autem numerus eorum, qui umquam in septem sapientium numero fuerunt, ad viginti unum procedente tempore auctus est.

Accedit alia res eaque gravissima: praeter septem spectaculorum canonem Alexandrina iam aetate alii quoque spectaculorum atque miraculorum catalogi erant septenario numero non circumscripti. Alexandrinos enim in mira humanae artis opera ceteraque quae ubique essent miracula colligenda studia sua contulisse iam

supra demonstravimus atque documento rei usi sumus Callimachi illa *θαυμάτων συναγωγή* atque Ampelii capite octavo. Sed in illa quidem mixta fuisse videntur naturae miracula cum mirificis hominum vel deorum operibus. Sed etiam mirorum operum proprietorum catalogos fuisse dico, cuius rei non desunt certa indicia.

Et primum quidem apud Plinium est locus (XXXVI, c. 14—24), ubi et Graeca et orientis mira opera e lapidibus exstructa enumerat: obeliscos, pyramides, sphingem, Pharum, labyrinthos, hortum pensilem, Aegyptias Thebas, Ephesium Cyzicenumque templum. Eum miraculorum catalogum e Graeco fonte haustum esse certissimum est, atque quia e lapidibus tantum exstructa opera illo loco afferre Plinio propositum erat, consentaneum est ex ampliore enumeratione alia quoque miracula complectente lapidea tantum eum elegisse. Itaque ex ea ipsa re ante Plinium quidem mirarum rerum catalogos a Graecis compositos exstitisse conicere licet.<sup>20)</sup>

Accedit Curtii Rufi locus non minoris, ut videtur, momenti (lib. V, 1). Ille enim pontem lapideum in urbe Babylone in Euphrate factum memorat additque: hic quoque inter mirabilia orientis opera numeratus est. Quae res, quin ad talem, qualem supra descripsimus, mirabilium operum catalogum spectet, sive is omnium terrarum miracula, sive solum orientis complectebatur, dubitare vix poterit quisquam. Et eum catalogum, qui Curtio hoc loco ante oculos erat, non post Alexandrinam aetatem compositum fuisse inde apparet, quod omnino Curtius satis antiquos, i. e. eos scriptores sequitur, qui Alexandrinis non inferiores sunt aetate.

Et quales ampliores illi miraculorum catalogi fuerint, id nescio an anecdoto e cod. Vatic. (cfr. in tab. suff. XIV), quo triginta mira opera ex universo orbe terrarum congesta enumerantur, (de

<sup>20)</sup> Starkius (l. l. Eos I p. 348.) illo loco Plinium hebdomadem miraculorum enumerare dicit. Sed eam nimis artificiose ille mihi enodasse videtur. Nam certe si Plinio ibi hebdomadem afferre in animo fuisset, palam id professus esset. Accedit, quod si accuratius rem examinaverimus, non septem, sed plura miracula ibi enumerari statuendum nobis erit. Complures enim Plinius obeliscos, complures idem labyrinthos affert, qua ex re satis apparet non hebdomadem, sed ampliolem miraculorum enumerationem illum referre. Atque si revera illo loco hebdomas miraculorum enumerata esset, tamen fortuito, non consulto id factum iudicarem. Accedit, quod veram miraculorum hebdomadem Plinium satis cognosse alio loco demonstratur (XXXVI, § 30), ubi Mausoleum inter septem miracula esse dicit.

quo Wilamowitz egit coni. Gotting. 1884, p. 8), illustretur. Nam quamquam illa mirabilium rerum enumeratio nonnullis p. Chr. n. saeculis composita est — Antonini enim Nicomediae templi in illo catalogo mentio fit, — tamen e parte quidem antiquiorem enumerationem referre videtur. Neque enim antiquissima miracula, velut Juppiter Olympius, Rhodius colossus, pyramides, Creticus labyrinthus, Juno a Polycleto sculpta, Ephesium templum, desunt in illo catalogo. — Sed utut est, ampliores miraculorum catalogos septenario numero non circumscriptos atque undique ex priorum scriptorum libris congestos iam Alexandrinorum aetate fuisse ex illis Plinii atque Diodori locis satis apparet.

Quodsi ita se res habet, quid magis verisimile, quam ex illis potissimum plenioribus miraculorum enumerationibus ab aliis alia miracula, ut cuique eo honore digna visa sint, septem spectaculorum canonem remotis nonnullis ex iis, quae primitus locum in canone habuerant, inserta esse atque omnino ampliorum illarum enumerationum cum nostro canone confusionem maxime in promptu fuisse?

Haec omnia nobis reputantibus dubium videri iam non potest, quin Alexandrina aetate ex prisco canone nonnulla opera remota, alia substituta sint.

Cuius sententiae locupletem testem habeo Diodorum. Is enim (lib. II, 11) obeliscum quendam a Semiramide Babylone exstructum ἐν τοῖς ἐπὶ κατονομαζομένοις ἔργοις numerari auctor est. Quod ex quo fonte ille hauserit, in incerto relinquamus oportet. Licet enim illa de rebus a Semiramide gestis ex quibusnam auctoribus Diodorus deprompserit satis sciamus (e Ctesia autem atque e Clitarcho aliisque, qui cum Alexandro in Asiam traicere de rebus Assyriorum atque Babyloniorum sua illum petita habere constat), tamen, an illud quoque de obelisco inter septem spectacula numerato eisdem auctoribus debeat, maxime dubium est. Immo pro certo affirmare licet non ex illis eam notulam fluxisse, quippe qui prius fuerint, quam septem miraculorum canon compositus est. Ex alio igitur fonte Diodorus illud de obelisco hausit, sed ex quonam, de ea re certi quicquam enodari non poterit.

Sed utut est, tantum illo Diodori loco evincitur, iam ante Diodorum a prisco canone variari coeptum esse. Atque eo maioris momenti illum locum faciendum puto, quod eo ipso ante Diodorum ad ea opera in hebdomadibus miraculorum componendis descen-

sum esse apparet, quae prae nobilissimis illis miraculis, quae in prisco canone erant, ignobilia aut certe non aequae atque illa admiratione digna iudicanda sint. Nam si ex ea urbe, e qua murus et pensilis hortus septem spectaculis adscripta erant, obeliscus ad eum honorem proventus est, certe pro nobilissimis operibus humiliora successisse concedendum erit.

Ceterum si Curtii illum locum supra laudatum, quo pons ille lapideus inter orientis miracula numeratus fuisse traditur, respexerimus, dubii iam esse non possumus, quin obeliscus quoque in tali catalogo fuerit atque ex eo in canonem nostrum substitutus sit. Itaque obeliscus ille sententiae nostrae, qua ex amplioribus catalogis nonnulla opera in septem spectaculorum numerum irrepsisse supra diximus, praeclarissimo documento est.

Iam si ante Diodorum a prisco canone variatum est, etiam ante Varronem plures septem miraculorum enumerationes easque inter se differentes fuisse apparet. Nam Diodorum a Graecis, non a Varrone illud de obelisco Semiramidis inter septem miracula numerato mutuatum esse per se intellegitur.

Quae cum ita sint, Varronem Cyri illam regiam — eam autem solam ordine suo novam recepit — non suo ipsum arbitrio motum canoni inseruisse procul abest ab omni dubitatione. Quae sententia alia quoque re firmatur. Circumspicientibus enim nobis, in quibusnam ex iis ordinibus, qui ad nostram memoriam pervenerunt, ea opera inveniantur, quae ante Varronem canone recepta esse videri possint, occurrit illa enumeratio spectaculorum, quae vulgo anonymus de incredibilibus vocatur (Orell. p. 68; tab. suff. IV).

Is catalogus ea tantum habet opera, quae omnia ante Varronem celebrata erant, eaque e Graecis tantum vel orientis miraculis electa. Idque praeae originis documentum esse facile concesseris, ubi praeter Taurinenses anonymos (tab. suff. VII et VIII) in nullo ordine ea tantum opera esse tenueris, quae ante Varronis aetatem in canone nostro fuisse possint. Et licet illa ipsius anonymi de incred. enumeratio satis recenti aetate conscripta sit, tamen sine dubio ad satis antiquum fontem revocanda est.<sup>21)</sup>

Praebet autem anonymi illius ordo eadem opera, quae in prisco canone erant, nisi quod pro horto pensili recepta est ara

<sup>21)</sup> Cum Varrone autem anonymo de incred. nihil esse nemo non videt

Delia. Inter ea autem opera, quae ab aliis in canonem inserta dicit, Cyri quoque regia est. Sunt enim haec eius verba: *τινὲς δὲ τάντουσι καὶ τὸν . . . . . καὶ τὰ Κύρον βασιλεία*. Nec ea verba ita intellegenda esse, ut septem miraculis addita illa opera existimeamus, sed ita, ut pro aliis substituta, eo firmatur, quod hortus pensilis quoque inter *ταυτόμενα* illa est, quem tamen primitus inter septem miracula fuisse supra demonstravimus.

Regiam Cyri igitur ante Varronem iam septem miraculis adscriptam fuisse statuendum est, eamque, ut supra diximus, pro horto pensili. Nec tamen idcirco Varronem totum suum ordinem, qualem apud Hyginum ceterosque traditum habemus, a Graecis mutuatum esse putare nos necesse est. Nam cum praeter Cyri regiam alia quoque opera ante Varronem canone nostro recepta esse Diodori illo loco doceamur, verisimile potest videri in eis ordinibus, in quibus hortus pensilis Cyri regiae cesserat, alia quoque spectacula pro priscis substituta fuisse, Varronem autem suo arbitrio solam regiam illam retinuisse, quippe quod ipsi quoque iure pro horto pensili substitutum videretur. Nam non plane unum e Graecis ordinibus Varronem referre ea re probatur, quod apud neminem unquam Graecum scriptorem ordo ille repertus est. Ordinem quoque, quo singula inter se opera excipiunt, ipsum Varronem constituisse non est cur negemus<sup>23</sup>). Recte igitur Rohdenium vidisse, cum illum ordinem a Varrone constitutum esse contendit, negari quidem non potest. (cfr. Rohd. diss. p. 8 not. 13).

Sed iam redeundum est ad anonymum de incred. quaerendumque, num ea opera, quae vel ipse nova affert, vel ab aliis canonis inserta esse dicit, in aliis quoque ordinibus reperiantur. Neque desunt plane in illis. Anonymi enim duo e codice Taurinensi (Orell. p. 145, tab. suff. VII et VIII) Minervam a Phidia

<sup>23</sup>) Ceterum quod Memnonem regiam illam aedificasse Varro dicit — siquidem ab ipso Varrone sic scriptum erat, non postero tempore prave id additum est — in eo apertus illius error. Neque enim apud quemquam ceterorum scriptorum, qui de illa regia verba faciunt, a Memnone exstructa traditur. Contra Susae regiam Memnonea appellatam esse testis est Herodotus V, 53. Strabo XV, 728 C., qui plane cum Diodoro consentit (Diod. II, 22). Paus. IV, 31, 5. Cum illa regia Varro vel qui illam notulam adpersit, Cyri regiam confudisse videtur. Nec mirum. Etenim de Memnone tanti erant apud ipsos Graecos errores, ut, quod Latini quoque scriptores in ea re lapsi sunt, offendere nos non debeat.

sculptam habent, alter Cyri regiam, eamque Pergami esse prave dicit (qua in re mendum latere mihi videtur, nisi eius, qui commentatiunculam illam e nescio quo autore descripsit, ignorantiae eum errorem tribuere maluerimus). Ara Delia autem, ut supra commemoravimus, in epigrammate illo Martialis (spect. 1) est. Asclepium Epidaurium autem et aram in urbe Pario exstructam, quae opera idem ille anonymus de incred. a nonnullis canoni nostro adscripta esse perhibet, nullum qui praebeat ordinem habemus.

Age nunc quaeramus, in quorum e prisco canone miraculorum locos singula illa opera, quae anonymus de incred. enumerat, quae Alexandrina ipsa aetate recepta esse supra obiter diximus, successerint.

Et aram Deliam quidem atque Cyri regiam pro horto pensili receptas esse atque ob eam rem illum remotum esse, quod unius urbis duo miracula septem spectaculis adscripta esse iniquum visum sit, supra iam docuimus. Quae sententia quantum ad eum ordinem pertinet, quem Martialis epigramma refert, dubia videri potest. Martialis enim eam enumerationem, quam sequitur, non plenam affert, sed quinque tantum ex antiquis miraculis habet iisque Flavianum amphitheatrum sextum adiungit. Dixerit quispiam inter ea opera, quae Martialis silentio praetereat, hortum pensilem fuisse atque in eo ordine, qui illi ob oculos versatus sit, illud miraculum locum habuisse. Sed id mihi minime probatur; immo Rhodium colossus et Jovis Olympii simulacrum a Phidia sculptum a Martiale ommissa esse certissimum est. Et Rhodius quidem colossus in nullo ceterorum ordinum (excepto altero e Taurinensibus anonymis) desideratur, quare ne in hoc quidem, quem Martialis refert, ordine defuisse eum verisimile est. Jovem autem Olympium a Martiale omissum esse ex ratione, qua ille usus est in eligendis operibus, quae cum Colosseo compararet, apparere dico. Elegit enim Martialis non ea, quae clarissima essent, — ea enim si elegisset, certe Jovis Olympii simulacrum retinuisset — sed quae aedificia essent, quia Colosseum et ipsum aedificium erat. (cfr. etiam Martial. ed. Friedlaend.). Aram Deliam autem ob eam rem non movit, quod Caesarem, Colossei auctorem, opponere ei propositum erat Apollini, qui aram illam exstruxerat<sup>23</sup>). Quod si ita se habet, praeter Rho-

<sup>23</sup> Rectissime Homolle d. l. c. est moins le monument qu'il (Martial.) veut sacrifier à l'amphithéâtre, qu'Apollon à César. — Quam ob rem maxime probanda

dium colossum Jovem Olympium, non hortum pensilem a Martiale omissum atque in eo ordine, quem ille sequitur, fuisse apparet.

Sed iam vereor, ne quis altero epigrammatis versu: „Assiduus iactet nec Babylona labor“ non ad moenia tantum, sed ad hortum quoque Martialem spectare suspicetur. Quam sententiam Diodori loco refelli puto (II, 8, 1), ubi ad moenium structuram accelerandam Semiramidem singulis amicis stadium tribuisse legimus, quod intra annum perficerent. Curtius vero (V, 1) singulis diebus singula stadia operis perfecta esse memoriae proditum esse dicit. Quibus Diodori et Curtii locis satis evinci puto ad moenia tantum Babylonia, non ad hortum quoque alterum epigrammatis versum pertinere. Neque enim de horto pensili tale quicquam traditum est.<sup>24)</sup>

In eo igitur quem Martialis refert ordine, non erat hortus pensilis, locum habuit ara Delia. Itaque Martialis quoque epigramma documento est aram Deliam pro horto pensili successisse<sup>25)</sup>.

Et haec quidem de ara Delia. Minervam autem a Phidia sculptam, quam idem ille anonymus de incredibilibus inter ea opera enumerat, quae ab aliis substituta esse dicit, aut successisse pro Jove Olympio, aut certe ut illi parem artificio atque fama adiune-

illius est sententia, qua legendum esse dicit: dissimuletque deum, non: „dissimulet Delon.“ — Contra minime mihi probantur quae paulo supra sunt Homolli verba: „Je ne crois que l'auteur de l'épigramme ait eu grands scrupules de l'exactitude; il a pris les noms, que lui fournissaient les catalogues de merveilles et qui entraient dans son vers sans plus de raffinement.“ Aedificia cum aedificio comparare Martialem nemo non videt.

<sup>24)</sup> Nam quod Philo Byzantinus de horto pensili dicit: *τὸ πλεῖστον βίαιον τὸν πόνον τῆς γεωργίας ὑπὲρ κεφαλῆς κρεμάσαι τῶν θεωροούντων*, nihil eis verbis cum Martialis versu illo esse per se intellegitur. Qua in re quam turpiter lapsus sit Allatius, Orellius (Phil. Byz. p. 80) iam vidit.

<sup>25)</sup> Politianus quoque in Manto aram Deliam inter septem spectacula enumerat:

Septem celebrat spectacula fama: / Nam neque belligeris Babylon pulsata quadrigis / Moenia, nec liquido pomaria pendula coelo / conferat, aut dextris exstructa altaria Delos / Cornibus, aut vasti molem Rhodos aurea Phoebi: / Non Cares Mausole tui caelamina busti, / Phidiacum non Elis ebur, non ipse superbas / Pyramidas iactet lascivi lingua Canobi.“

Desideratur in ea enumeratione Ephesium templum. Qua ipsa re apertum fit nullius momenti esse Politiani ordinem. Nam in veterum quidem catalogis Ephesium templum ~~arac illi non cessisse, procul abest ab omni dubitatione.~~

tum ei esse consentaneum est, id quod in Taurinensibus anonymis factum videmus. Quid enim magis verisimile, quam postquam Juppiter Olympius canone septem spectaculorum receptus sit, exarsisse earum urbium ambitionem, quae ipsae quoque Phidiae operibus insignes erant, eoque factum esse, ut sua aut substitui pro Jove Olympio cuperent, aut certe illi adiungi? Atque etiam aliorum artificum opera, quae quidem celebratissima essent, talem in modum in canonem nostrum irrepsisse non est cur negemus. Huc facere puto Asclepium Epidaurium a Thrasymede ex auro et elephante factum. Cui sententiae nescio, an id quoque adiumento esse possit, quod a nonnullis Phidiae id opus falso attributum esse constat, velut ab Athenagora (legat. pr. Chr. 14 p. 61 ed. Dechair, cfr. Brunn K. G. I, p. 184 ed. alt. 130, et p. 246 ed. alt. 173). Et licet Athenagoras quidem altero demum p. Chr. n. saeculum fuerit, tamen non ipsum in illum errorem incidisse, sed ex antiquiore fonte eum hausisse verisimile potest videri. Ceterum etiam anonymus ille e Vaticano codice, qui ampliorem miraculorum catalogum praebet (tab. suff. XIV), Epidaurium illum Asclepium affert, eumque tamquam a Phidia factum. Quamquam anonymus ille non maioris est quam Athenagoras momenti ad tempus definiendum, quo error ille de Epidaurii Asclepii auctore exstiterit.

Ara Pariana autem ante Corinthum deletam, ut videtur, exstructa (Brunn K. G. 523 ed. alt. 365), quam Strabo (X, 487, fr. 7; XIII, p. 588 C.) summa cum admiratione laudat, pro quonam opere in canonem recepta sit, in dubio est relinquendum. Neque enim inter eos, quos habemus ordines praeter ipsum anonymum ullus aram illam habet. Consentaneum quidem est pro ara Delia Parianam successisse, sed certi quicquam de ea re statui nequit.

Et sunt praeter illa miracula, quae anonymus a nonnullis nova pro priscis spectaculis canone nostro recepta enumerat, alia quaedam, quae quia et exstructa et celebrata ipsa Alexandrina aetate erant, quamquam in recentioribus tantum ordinibus locum habent, tamen illa aetate septem spectaculis adscripta videntur. Sunt ea: Pharus Alexandrinus, Aegyptiae Thebae, Jovis templum Cyzicenum, Memnonia Thebana, labyrinthus Aegyptius. Quae miracula, num revera illa, qua diximus aetate canonis inserta sint, age nunc quaeramus.



Qua in re maximi momenti est Plinii ille locus (XXXVI, c. 14—24), quem supra laudavimus. Nam eo ipso, quod, ut supra demonstravimus, ex ampliore aliquo mirorum operum catalogo a Graeco scriptore composito Plinius sua deprompsit, aliquanto ante illum opera modo enumerata ad septem miraculorum honorem pro-  
 vecta esse probabile est, idque eo magis, quod sane celeberrima illa opera et erant et a Plinio iudicantur. Qua in re ne id quidem neglegendum, quod pyramidibus et horto pensili, antiquissimis illis atque praeclarissimis miraculis adiuncta a Plinio illa opera describuntur. Accedit Diodori ille locus (II, 11), quo obeliscus ille Semiramidis inter septem miracula fuisse traditur; eum autem obeliscum ex ampliore catalogo in canonem nostrum translatum esse supra iam probavimus.

Quae cum ita sint, illa quoque, quae modo enumeravimus opera a Graecis Alexandrinae aetatis scriptoribus septem miraculis adscripta esse pro certo affirmaverim.

Et primum quidem Pharum iam ab Alexandrinis receptum esse ob id ipsum puto, quod tam praeclarum Ptolemaeorum opus non potuit non tunc ipsum eo honore dignum iudicari, ut inter septem miracula esset. Atque id alia quoque re firmatur. Nam si cuius e priscis spectaculis in locum Pharus successerit, quaesiverimus, pro pyramidibus receptum eum esse apparebit. Etenim quae enumerationes Pharum habent, in eis desiderantur pyramides (excepto scilicet Cedreni ordine, qui tamen ad nostram sententiam refellendum parum valet, quippe qui octo praebet miracula<sup>26</sup>).

Iam quid magis arridet, quam in Ptolemaei Soteris honorem, a quo turris illa excitata erat, Pharum canoni spectaculorum insertum esse, remotisque pyramidibus, priscorum regum praestantissimis operibus, successisse Pharum, Ptolemaeorum regni lumen?<sup>27</sup>

<sup>26</sup> Est autem Pharus in Ambros. anecdd. (vide tab. suff. XII et XIII) Bedae Vener., Gregorii Turon., Cedreni ordinibus (tab. suff. IX, X, XI).

<sup>27</sup> Pharum p. Chr. n. demum septem spectaculis adscriptum esse ex eo quispiam coniecerit, quod Ammian. Marcell. (XXII, 16, 9) itemque Tzetzes (Chil. XI, c. 33) atque anecdoton alterum e cod. Ambros. a Cleopatra eum exstructum esse perhibent. Qui error ex ea re profectus esse videtur, quod a Cleopatra restitutus est Pharus. Nec tamen restauratio illa ea videtur fuisse, propter quam Pharus ad septem miracula proveheretur. Nam neque Plinius (l. l.) neque Strabo (140, 791, 792, 794 C.) de restaurato Pharo quicquam memorant, sed ad eum Pharum se spectare profitentur, qui Sotere regnante a Sostrato exstructus sit.

Sequitur Jovis Cyziceni templum. Quod an recte Alexandrina aetate canonis nostro insertum esse dixerimus, dubitatio potest existere. Namque in nonnullis de septem miraculis narrationibus ea sunt de illo templo verba, ut non antequam ab Antonino Pio in Hadriani honorem restauratum sit (cfr. O. Müller, *Handbuch der Archaeologie* § 153, 3), in canonum relatum esse videri possit. Nam et apud Nicetam (Orell. p. 144) et in Vaticano illo ampliore miraculorum catalogo Hadriani templum intellegendum esse legimus. Sed id cum mea sententia facile me conciliare posse confido. Neque enim si ii, qui post Hadrianum fuerunt, id templum intellegendum dicunt, quod in Hadriani honorem restauratum est, idcirco ante Hadrianum illud templum inter septem spectacula fuisse negare nos necesse est. Immo summam habet probabilitatem priscum illud templum primitus in canone fuisse, postea autem recenti cessisse, quippe quod ab uno e Caesaribus consecratum esset atque sine dubio magnificentius illo ornatum.

Pro Ephesio autem templo Cyzicenum delubrum substitutum esse eo efficitur, quod in quibus ordinibus Cyzicenum est, in eis desideratur Ephesium, (qua in re tamen idem ille Cedrenus a ceteris dissentit, sed is quidem, ut supra docuimus, nullius est momenti). Templum videlicet templo cessit.

Labyrinthos quoque, maximeque Aegyptium ab Alexandrinae aetatis scriptoribus in canonem nostrum redactos esse e Plinii illo loco conicere licet. Tamen pro certo id affirmari nequit, quia in nullo eorum quos habemus septem miraculorum ordinum labyrinthos esse videmus<sup>28)</sup>.

Thebae autem Aegyptiae aut pensilem hortum aut Cyri regiam summovisse videntur, quae, ut supra commemoravimus, in horti locum successerat. In eis quidem ordinibus, ubi sunt Thebae et hortus pensilis desideratur et regia Cyri. Qua de causa autem Aegyptiae Thebae in horti pensilis potissimum locum receptae sint

<sup>28)</sup> Ac ne Ammonem Cornutum quidem neque Alexandri thronum, quae opera Allatius in nonnullis ordinibus septem spectaculis adnumerari dicit (Orell. p. 67), in ullo catalogo reperio. Invenerat fortasse Allatius tales enumerationes in Joh. Sapidis silva labyrintho, quam citat (l. 1.). Cuius adipiscendae causa cum complures bibliothecas adirem, repulsas tuli.

vel pro Cyri regia, id enodari posse nego<sup>29</sup>); neque ob certam causam pro altera ex illis operibus successisse eas necesse est.

Restat, ut de Memnoneis Thebanis nonnulla addamus. Alter enim ex anonymis Taurinensibus (Orell. p. 145; tab. suff. VII et VIII) pro Rhodio colosso, qui in nullo ceterorum ordinum desideratur *Μεμνώνεια τὰ ἐν Αἰγύπτῳ κατὰ Διόσπολιν τῆς Θηβαίδος* habet. Quae verba ne ad regiam Memnonis, quae ab aliis Memmonia appellatur (Strabo XVIII, p. 813 C. fr. 42) spectare putes, id obstat, quod ex iis, quae sequuntur verbis statuas intellegendas esse apparet. Neque enim haec verba: *τοῖς μεγέθεσι τινὰ μὲν ὥσπερ τὸ πολὺ πηχῶν σ'*, et quae sequuntur: *αὐτῇ δὲ ἡ τοῦ Μέμνωνος εἰκὼν* aliter explicari possunt. Quodsi ita se res habet, Caesarum demum temporibus Rhodio colosso Memmonia illa successisse statuendum erit. Neque enim ante illam aetatem de Memnonis statua apud ullum scriptorem quicquam scriptum legimus. Strabo quidem (XVII, p. 816 C.) et Diodorus (I, 47), qui statuarum illarum ante Memnoniam regiam positarum mentionem faciunt, alteram illarum Memnonis simulacrum esse ne verbo quidem memorant. Quare si ad statuas illas anonymi nostri verba pertinere putanda sunt, sane Caesarum demum aetate in canonem irrepsisse eas necesse est. Sed si quae in fine Taurinensis illius narratiunculae verba sunt, accuratius examinaverimus (cfr. Orell. p. 145: *οἶκος μονόλιθος ἐπὶ τάκλινος ἐκ λίθου ἀλαβαστρίνου*), vereor, ne quis mecum dubitare incipiat, an ad solas illas statuas anonymus noster spectet. Nam quae ibi leguntur, ea consentire videntur cum eis, quae Strabo (l. l.) de regia Memnonea tradit<sup>30</sup>).

Quae si recte disputavi, in anonymo Taurinensi Memnonis statuum cum Memnonis regia confusam esse summam habet probabilitatem. Regiam autem Memnonis, utpote quam Alexandrinorum iam aetate celeberrimam fuisse Strabonis atque Diodori locis evincatur, tunc ipsum canoni septem spectaculorum adscriptam esse ma-

<sup>29</sup>) Montefalco (Diar. Ital. p. 272) Thebas „ex opinione quadam, quod eae, utpote praestantiores aliis mundi miraculis inconsiderate praetermissae fuissent, inductas atque primo loco positas“ contendit. Quae sententia quam non ad rem illustrandam suppetat nemo non videt. Cur enim, si tanto honore dignae erant Thebae, non pyramides aliave miracula eis cesserunt?

<sup>30</sup>) Pro „μονόλιθος“ nescio an *ὀλόλιθος* legendum sit, ut est apud Strabonem.

xime consentaneum duco. Atque, ut breviter dicam quod sentio, talem septem miraculorum enumerationem, in qua regia Memnonea erat, Taurinensis ille anonymus refert. Sed cum eidem non ignota esset statuæ illius, quæ Memnonis simulacrum esse putabatur, fama, factum est, ut statuas illas, quæ ante Memnonia positæ erant, regiae illi adiungeret atque Memnonis statuam cum regia confunderet.

Atque, ut complectamur, quæ altera hac dissertationis parte disseruimus, Alexandrina ætate multiplicem in modum ab antiquissimo canone variatum est. Atque si recte stat sententia, hæc illa ætate pro prisci canonis spectaculis substituta sunt opera:

- I: Pro horto pensili: regia Cyri, ara Delia; Thebae Aegyptiæ autem vel pro horto, vel pro regia.
- II: Pro Ephesio templo: Jovis templum Cyzicenum.
- III: Pro pyramidibus: Pharos Alexandrinus.
- IV: Pro Jove Olympio: Minervæ statua a Phidia sculpta et Epidaurius Asclepius.
- V: Pro Rhodio colosso: Memnonea regia.

Obeliscus autem Semiramidis et ara Pari exstructa pro quibus miraculis substituta sint, non satis liquet.

Ordines autem, quibus sola ea opera, quæ Alexandrina ætate pro priscis miraculis recepta sunt, enumerantur, ei sunt, e quibus alterum genus enumerationum effecimus:

- I: anonymus de incredibil.
- II: anonymi duo e codice Taurinensi.
- III: is ordo, quem Martialis secutus est.
- IV: Varronis ordo eorumque, qui cum illo faciunt (Hygini, Ampelii, Cassiodori, Vibianæ appendicis).

Iam si quis opera illa Alexandrina ætate pro nonnullis e priscis recepta perlustraverit, facile perspiciet, quantopere rationem illam, quam in prisco canone constituendo valuisse demonstravimus, neglexerint posterius. Etenim pro *θεάματα* i. e. eis miraculis, quæ spectari potuerunt atque integra stabant, substituerunt ea, quæ e veterum libris conquisiverant, neque, utrum „spectacula“ essent necne rationem habuerunt. Exemplo sunt regia Ecbatanae atque Aegyptiæ Thebae. Pro singulis operibus autem succedunt totæ urbes; pro eis, quæ omnium consensu praeclarissima opera iudicata erant, alii suæ patriæ studio moti, alii suo proprio iudi-

cio ducti ea opera suggerunt, quae nequaquam illis paria sunt existimanda, velut Minervam Phidiae, templum Cyzicenum, Epidaurium Asclepium, obeliscum Semiramidis. Adulatione factum est, ut in Ptolemaeorum honorem removerentur pyramides, succederet Pharus. Ac ne id quidem est neglegendum, quod tunc ipsum, ut Starkii verbis utamur (l. l. p. 347), „das Wunderbare und Zauberhafte das Thatsächliche zu überwiegen begann.“ Documento est ara illa Delia mirifico Apollinis numine exstructa.

Ac non solum de prisco canone variatum esse, sed eas ipsas enumerationes, quae variando ab illo effectae erant, immutatas esse facile intellegitur. Thebae quidem Aegyptiae, utrum pro horto pensili an Cyri regia successerint, in dubio relinquendum nobis erat.

Ceterum ita quoque a prisci canonis ratione deflexum esse suspicari licet, ut singularum terrarum vel urbium hebdomades componerentur. Aegyptii quidem regni atque Graeciae tot erant miracula, ut propriae hebdomades ex illis facile congeri potuerint. Et Aegyptia quidem hebdomas ex hisce operibus composita fuerit: Pyramidibus, Pharo, labyrintho, Sphinge, Thebis Aegyptiis, Memnonea regia, obelisco illo, qui postea Romam devectus est. Graecorum autem miraculorum hebdomas ex hisce operibus effici potuit: Ephesio templo, Mausoleo, Jovis Olympii statua, ara Delia, ara Pariana, Minerva Phidiae, Cyziceno Jovis templo. — Sed mitto haec plane in coniectura posita.

### III.

Nunc quoniam, quomodo Alexandrina aetate a prisco canone variatum sit, disceptavimus, age quaenam septem miraculorum ea aetate quasi fata fuerint quaeramus, qua totus orbis terrarum Caesarum imperio continebatur proximisque huic temporis spatio saeculis.

Ac primo quidem p. Chr. n. saeculo septem miracula eaque potissimum, quae in antiquissimo illo ordine atque in Varroniano erant, omnium ore ferebantur atque creberrima est eorum apud illius aetatis scriptores mentio. „Dichter, — ut sunt Starkii verba (l. l. p. 346) — Geographen, Antiquare der augusteischen Zeit sprechen besonders gern und oft von den sieben Wundern der Welt.“ Documento sunt: Vitruv. (II, 8, 11; VII, praef.), Propert. (El. III, 2), Val. Max. (IV, 6), Diodor. (II, 11; XVIII, 5), Strab. (XIV, 652 et 656 C.; XVI,

p. 738 C; XVII, 808 C), inter recentiores scriptores Plin. (XXXVI, § 30), Seneca (dial. de consol. ad Polyb. 1, 1), Martialis (l. l.).

Nec tamen ultra primum p. Chr. n. saeculum tam celebrata erant septem spectacula; altero saeculo pauci ex eis, qui tunc erant scriptoribus illorum mentionem faciunt. (Plut. Thes. 21; soll. anim. p. 983; Gell. III, 10, 16; X, 18, 4.) Crebrius tamen inde a tertio saeculo a sophistis septem terrarum miracula memorantur, qui — ut ait Rhodenus (diss. p. 33 not. 5) — ostentandae eruditionis causa septem miraculorum memoriam renovaverunt. Testis est praeter alios<sup>31)</sup> Gregorius Naz. (epigr. A. P. VIII, 177 vol. I, p. 536, Dübn. — or. in laud. Basilii XLIII, p. 818 vol. II, p. 580 A. Mign.). — Contra apud Latinos scriptores tantum aberat, ut renovaretur septem miraculorum memoria, ut procedente tempore prope evanesceret eorum notitia. Cassiodorii quidem et Gregorii Turonensis aetate oblivione obruta atque ab illis demum ad lucem denuo prolata videntur. Cuius rei ipsos habeo locupletissimos testes. Cassiodorius enim (var. VII, 15) a prisci saeculi narratoribus septem tantum terris attributa fabricarum miracula dicit, Gregorius autem ita inchoat suam septem miraculorum enumerationem: Plerique philosophorum ..., quasi plus ceteris septem scripsere miracula. E quibus locis satis apparere puto illorum quidem aetate (saeculo sexto) amplioribus miraculorum catalogis septem spectacula proprie dicta oblitterata fuisse Atque enumerationes illae septenario numero non circumscriptae nescio, an ex parte quidem ab ipso septem miraculorum canone profectae sint. Nam consentaneum est, cum septem miraculis ab aliis alia opera inserta essent, nonnullos, cum dubitarent, quatenam miracula re vera inter septem illa referenda essent, omisisse septenarium numerum atque ita factum esse, ut iis operibus, quae nova addita erant, septem miracula proprie dicta oblitterarentur<sup>32)</sup>.

Quibus rebus in universum expositis quonam modo hac, de qua loquimur aetate variatum sit a nostro canone, disceptemus.

<sup>31)</sup> cfr. Menand. π. ἐπίδεικτ. p. 445, 9 sqq. Sp. — Julian or. II. p. 107, 1 sq. — Himer. Eclog. XIII, 11 p. 26, XX, 3 (p. 31 Duebn). — Choric. Gaz. p. 149 fin. sq. Boiss. — Tertio saeculo Lactantius (instit. div. III, 24, 1) hortum pensilem inter septem miracula numerari dicit.

<sup>32)</sup> Quae sententia satis illustratur Ambrosianis anecdotis atque Cedreni ordine, quibus octo pro septem enumerantur miracula.

Et primum quidem pro Jove Olympio successit Capitolium Romanum. Id iam in eo ordine fuisse, quem Gregor. Naz. (or. in laud. Bas. I. 1.) refert, quamquam mutila est illius enumeratio, ex eo apparet, quod Nicetas, Gregorii commentator, Capitolium in enumeratione sua praebet. (Orell. p. 144; tab. suff. VI). Et quid magis consentaneum, quam pro Jove Olympio, Graeciae lumine, substitutum esse Capitolium, Romani Jovis sedem? A quonam autem atque quo tempore id factum sit, pro certo affirmari non potest. Tantum dicere licet non ante secundum p. Chr. n. saeculum Capitolium illo honore dignum iudicatum esse. Id Plinio loco firmari puto; is enim ubi urbis Romae miracula enumerat (XXXVI, 24, 101), Capitolium silentio praeterit, cuius tamen certe mentionem fecisset, si iam tum inter septem spectacula celebratum fuisset. Atque si non minus in Graecis, quam in Latinis enumerationibus Capitolium esse respexerimus — est autem apud Nicetam, anonymos e codice Ambros., Bedam Venerab. — non tam per Romanam ambitionem factum esse videtur, ut Capitolium canone septem miraculorum reciperetur, quam quia — ut recte monet Montefalco (diar. Ital. p. 272) — „Capitolium certatim Augustorum longa serie decoratum ditatumque fuit priscorumque orbis miraculorum multa superavit.“ Quare non tam in urbis Romae, quam in Caesarum honorem Capitolium canoni nostro adscriptum esse videtur, quae adulatio non minus a Graecis, quam a Latinis potuit proficisci. Accedit, quod in quibus enumerationibus Capitolium est, in eis Cyzicenum quoque templum in Hadriani honorem restauratum locum habet. Atque quomodo factum sit, ut talia Caesarum opera canoni nostro insererentur, satis illustratur Martialis illo epigrammate, quo Colosseum cum nonnullis ex antiquissimis spectaculis comparatur.

Bellerophontis quoque Smyrnaeam statuam, theatrum Heracleense, Apollonii Tyanei balneum, theatrum Myrae eaque, quae Gregorius canoni adscripsit opera hac aetate ad septem miracula provecta esse puto.

Et de ipsa quidem Bellerophontis statua quomodo res se habeat satis in incerto est. Nam ut Bellerophontis simulacra Corinthi (Paus. II, 2, 4) et Constantinopoli — idque Antiochia Constantinopoli advectum — exstitisse constat<sup>33)</sup>, ita de Smyrnaeo Bellerophonte

<sup>33)</sup> Nicet. de sign. IV. cfr. Heyne de priscae artis Operr., quae Constantinopoli exstitisse memorantur comment. Annal. soc. reg. scientiar. Gotting.

praeter ea, quae apud Bedam et apud anonymum quendam (ad calcem antiquitt. Josephi Aug. Vind. 1470. fol. coll. Fränk. Act. XIV, p. 87; vide append. n. II. in fine) scripta leguntur, nihil usquam memoriae proditum est. Tantum coniecerit aliquis, ipsam illam Bellerophontis statuam, quae Antiochia Constantinopolim devecta est, primitus Smyrnae fuisse atque illinc Antiochiam ablatam esse. Caesarum aetate in canonem nostrum statuam illam insertam esse ex eo coniicio, quod in eis tantum ordinibus est, quibus alia quoque opera afferuntur, quae illis temporibus septem miraculis adscripta sunt, scilicet Capitolium, templum Hadriani Cyzicenum (tab. suff. XI, XII, XIII). — Ceterum illud Bellerophontis simulacrum non ob artificium aut molem, sed quod naturae quodam miraculo in aere suspensum tenebatur, canone receptum esse ex iis apparet, quae Beda et anonymus ille de ea re perhibent.

Heracleense quoque theatrum hac aetate canoni nostro insertum esse puto. Nam Bedae et anonymi verbis amphitheatrum intellegendum esse eo evincitur, quod antra bestiarum in eo theatro fuisse ibi scriptum legimus. Ea autem res certe Caesarum aetatem respicit. Ceterum in Thracia Heracleam urbem illam fuisse e Vaticano illo miraculorum ordine perspicitur.

Nec non Myrae theatrum, quod solus Cedrenus affert (Orell. p. 146; tab. suff. IX), huc referendum est; neque enim in ullo eorum ordinum, qui priscas vel Alexandrinae aetatis enumerationes referunt, inter septem miracula numeratur. Cedrenum ipsum theatrum illud non suo arbitrio recepissee, sed alios secutum esse certissimum est; ipse enim Cedrenus sua aetate destructum iacere illud theatrum dicit. Sed quonam tempore exstructum sit, id plane in incerto est. (Neque Texier, *l'Asie mineur* III, pl. 215, 221 de ea re novi quicquam protulit). Tantum constat iam prima Caesarum aetate Myram urbem opibus florentissimam fuisse. Antea an celebris fuerit, mihi quidem dubium videtur Strabonis locum respicienti (XIV, 666 C.), quo nihil praeter nomen situmque urbis illius memoratum legimus. — Quibus rebus satis probari puto Caesarum demum temporibus illud theatrum septem miraculis adiunctum esse<sup>84</sup>).

vol. IX p. 13 (class. histor. et philol.). Quamquam ea statua, de qua Nicetas verba facit, non Bellerophontis, sed unius e Caesaribus fuisse videtur. Tamen illo loco Bellerophontis aliquam statuam Constantinopoli fuisse probatur.

<sup>84</sup>) Ceterum ex Myra urbe alia quoque opera celebrata fuisse Vaticanum illud anecdoton docet. Namque ibi Latonae statua a Praxitele facta comme-



Sequitur balneum illud, quod ab Apollonio Tyaneo (is enim intellegendus est; cfr. Orelli p. 149 not. 2) „una candela consecrationis incensum atque in perpetuum calefactum esse apud Bedam et anonymum illum, qui cum eo facit, legimus. Id miraculum hac demum aetate, de qua loquimur, canone receptum esse, cum Apollonius primo p. Chr. n. saeculo vixerit, per se intellegitur. Ceterum mihi quidem magis arridet, postquam Philostratus libro illo τὰ εἰς τὸν Τυανέα Ἀπολλώνιον inscripto mira illius facta celebraverit, tum demum (scilicet non ante alterum p. Chr. n. saeculum) balneum illud inter septem miracula relatam esse.

Jam quanam e priscis miraculis operibus modo enumeratis cesserint, satis lubrica est quaestio. Etenim eis, qui illa opera substituerunt, non priscum ordinem, sed recentiores ordines ob oculos versatos esse, qui ipsi quoque a prisco canone variati fuerint, verisimillimum est. Inter antiquissimum canonem igitur atque eas enumerationes, quae Caesarum aetate compositae sunt, non unam, sed complures alias medias intercessisse putandum est, quae cum ad nostram memoriam plerumque non pervenerint, plane in incerto est, pro quibusnam e prioribus miraculis illa opera, scilicet Bellerophontes, Heracleense amphitheatrum, Myrae theatrum, Apollonii balneum successerint. Tamen, si coniecturis uti mihi licuerit, haec statuenda mihi erunt:

Bellerophontes Smyrnaeus et amphitheatrum Heracleense in eis tantum ordinibus sunt, e quibus summota sunt moenia Babytonia et hortus pensilis (sive ea opera, quae in horti locum Alexandrina iam aetate canonis adscripta erant, scilicet Cyri regia vel ara Delia vel Aegyptiae Thebae.) Sed utrum pro utro successerit, in medio relinquendum est.

Apollonii autem balneum apud Bedam quidem pro Mausoleo substitutum est. Sequitur Myrae theatrum, quod solus Cedrenus

---

mōratur. Quod simulacrum nescio an cum Letoo illo cohaereat, de quo Strabo (XIV, 660) verba facit. Quod autem a Praxitele eam statuum sculptam esse dicit, id non potest non maximam suspicionem movere. Nam nobilissimo cuique artificum a posteris persaepe ea opera attributa esse, quae a nescio quo alio facta erant, nemo est, quin sciat. (Brunn I, 186 ed. alt. p. 131). In Vaticano vero anecdoto notulam illam eo suspiciorem esse necesse est, quod in eodem paulo supra Jovis quoddam simulacrum Phidiae attribuitur, qua in re apertius est illius, qui illud anecdoton composuit, error.

habet; id quoque in cuius miraculi locum receptum sit, non satis liquet. Nam et Babylonius murus et pensilis hortus eaque, quae pro illis ante Cedrenum canonis inserta erant opera in illo ordine desunt, nec non Juppiter Olympius quaeque eum summovertant miracula, ita ut plane dubii haereamus.

Venio nunc ad Gregorii Turonensis ordinem. Is christianae fidei studio motus ex eo catalogo, quem ob oculos habuit, quo plus septem miraculis fuisse ex ipsius verbis apparet,<sup>35)</sup> nonnulla omisit atque ea substituit, quae sanctis scripturis celebrata magis illis admiranda ducebat. Quaerendum, quatenus sua substituendi causa removerit ille miracula. Et Haasius quidem (de Gregor. Turon. episc. libro de cursu stellarum Vratisl. 1853 p. 29) ea opera Gregorium sustulisse dicit, in quibus deorum gentilium mentio facienda fuerit. Qua in re recte illum vidisse puto. Neque enim a Gregorio ullum miraculum afferri videmus, in quo deus gentilis memorandus erat. Cui sententiae obstare videtur Rhodius colossus Gregorii ordine receptus, quippe qui Solis simulacrum fuerit. Sed maxime dubium est, num notum fuerit Gregorio Solis statuam fuisse colossum. Neque enim verbo ipse in eis, quae de colosso tradit, Solem memorat. Quod ne ipsum quoque fidei Christianae studio factum putemus, eo impedimur, quod ne Bedam quidem, qui gentiles deos nominare non dubitavit, colossus describens de Sole quicquam dicit. Qua in re id quoque maximi momenti est, quod nonnullis locis colossus columnam praeexcelsam fuisse legimus, (cfr. Nicetae ordinem Orell. p. 144 *τινὲς δὲ φασὶ τὸν κολοσσὸν εἶναι κίονα χαλκοῦν, πημιμέθρη, ὑψηλόν*. Overb. Schriftqu. 1551). Itaque apparet recte vidisse Haasium. Quod si ita se habet, pro Noae arca Salomonisque templo ea miracula in Gregorii ordinem restituenda sunt, quae in deorum gentilium honorem exstructa fuerunt. Et pro Salomonis quidem templo aut Ephesium Dianae aut Cyzicenum Hadriani in eo ordine fuisse, quem Gregorius secutus est, nemo non concedet. Noae autem arca in Jovis Capitolini locum successit. Etenim in ambrosianis quoque anecdotis et apud Bedam Capitolium est, quae enumerationes ceteris quoque rebus maxime cum nostro faciunt, ita

<sup>35)</sup> De cursu stell. Monum. German. T. I, p. II p. 857 ed. Krusch: Plerique philosophi.... plus ceteris septem scripsere miracula, e quibus mihi quaedam praetermittere et nonnulla alia plus admiranda libuit memorare.

ut de eodem fonte, quo Gregorii haustae videantur. Hanc igitur fuisse puto eam enumerationem, quae Gregorio ob oculos versata sit:

1. Capitolium. 2. Murus Babylonius. 3. Ephesium templum.
4. Mausoleum. 5. Rhodius colossus. 6. Theatrum Heracleense.
7. Pharos.

Praeterea in illo ordine alia quoque opera, ut supra diximus, fuisse videntur, velut Bellerophontes et Apollonii balneum. Ex quo catalogo praeter Gregorii ordinem etiam Bedae et Ambrosiana anecdota deprompta videntur. Et cum septem quisque suo arbitrio miracula eligeret, factum est, ut, quamvis in universum inter se consentiant, tamen nonnullis rebus inter se differant.<sup>36)</sup>

Restat, ut de Byzantinorum scriptorum de canone nostro studiis nonnulla moneamus. Ab illis enim septem miraculis nonnulla ex iis operibus addita sunt, quae Byzantina aetate exstructa sunt. Velut alteri ex anonymis Ambrosianis Hagia Sophia, quae vocatur, adiuncta est, (tab. suff. XII) id quod a Byzantina adulatione profectum esse nemo non videt.<sup>37)</sup> Cedrenus autem Rufiniam silvam octavum miraculum ceteris adscribit. Qua de silva quamquam certi quicquam in veterum libris memoriae proditum non est, tamen hoc licet conicere ab Rufino illo, qui sub imperatore Arcadio imperium affecavit atque Stiliconis iussu foede interemptus est (Zosim. IV, 51, 19), illam silvam institutam esse. Ceterum Byzantinos scriptores de septem miraculorum canone memoriae prodendo satis bene meritos esse ex eis ipsis de hac re narratiunculis, quas e Graecis codicibus decerptas habemus, quae Byzantinae plerumque originis sunt, perspicui potest. (cfr. Rohd. diss. p. 2). Scholia quoque illa Graeca in carmina de septem spectaculis, quae memorat Allatius p. 6 de Nilis (Nil. Ascet. Romae edit. 1668. Orell. p. XIX not.) a Byzantinis composita esse eo verisimile fit, quod in duobus codic. Vaticc. talia inveniuntur scholia in Cedreni de septem spectaculis versus.<sup>38)</sup>

<sup>36)</sup> Ceterum Bedam ex eodem fonte, quo Gregorium sua hausisse eo quoque demonstratur, quod nonnullis locis paene verbis consentiunt: De Heracleensi theatro Gregorius: de uno monte factum ita sqq., Beda: de uno marmore ita sculptum sqq. — Gregorius de colosso: ex aere fusili, Beda: fusilis factus. — Gregorius de Pharo: super quattuor mirae magnitudinis caneros, Beda: super quattuor caneros vitreos.

<sup>37)</sup> cfr. Ambros. anecd. alterum libello suffixum.

<sup>38)</sup> Codex Vatic. 573 fol. 55. (sc. XV) et 942 fol. 86 (eiusd. saec.) haec habent:

Atque ut quae tertia hac parte dissertationis statuimus complectamur: Caesarum temporibus atque Byzantina aetate haec opera canone septem miraculorum recepta videntur: Capitolium Romanum pro Jove Olympio, Bellerophontis statua et Heracleense theatrum, siquidem de ea re certi quicquam statuere licet, aut pro horto pensili muroque Babylonio, aut pro Cyri regia (vel Delia ara) et Thebis Aegyptiis, balneum autem Apollonii pro Mausoleo, Myrae theatrum pro nescio quo alio miraculo. Praeterea, ut supra demonstravimus, Memnonis quoque statua inter opera hac aetate canonici adscripta referenda est, itemque Cyzicenum templum ab Antonino Pio in Hadriani honorem restauratum. Colosseum autem an ipsum quoque huc referendum sit, dubius sum; namque id Martiali in epigrammate illo non tam canonici inserere, quam cum ceteris spectaculis comparare in animo erat.

Successit autem Memnonis statua pro Mausoleo, Hadriani templum Cyzicenum pro Jovis Cyzicena aede.

Noae denique arca Salomonisque templum pro Capitolio et Ephesio vel Cyziceno templo septem miraculis addita sunt; Byzantini autem Rufiniam silvam atque Hagiam Sophiam canonici nostro adiunxerunt.

Ordines autem huc referendi sunt ei, e quibus tertium genus enumerationum effecimus: Gregorii Nazianzeni alter et Nicetae, Ambrosiani anonymi duo, Bedae Venerabilis, Gregorii Turonensis, Georgii Cedreni.

ξένον θέαμα . . . . . πλάνος.

θέαμα λέγεται ἀπλῶς . . . . . (55<sup>v</sup>)

τοῦ πρὸς αὐτῶν θανατοῦ.

Καὶ πύργος . . . . . φάρου

φάρος δοκεῖ μὲν εἶναι . . . . . κ. τ. λ.

57<sup>v</sup> καὶ ῥουφίνιον . . . . . περγάμῳ

πέργαμος . . . . .

59<sup>v</sup> ὥστε καὶ παραβάλλειν ἐκεῖνα τοῖς.

Cedreni illos versus de septem spectaculis (Orell. p. 146) in hoc anecdoto esse cum notulis a nescio quo additis apparet. — Alter codex (942) eadem praebet, nisi quod versus ipsi apud eum desunt. — Haec anecdota meo rogatu conquisita

Quanam ratione autem hac aetate de canone variatum sit, quaerenti mihi id statuendum videtur, haud alias in universum causas hac in re tum valuisse, atque Alexandrina aetate. Nam sicut in Ptolemaeorum honorem tum receptus est Pharus, ita hac aetate Caesarum adulatione factum est, ut Capitolium atque Hadriani templum canoni insererentur. In imperatoris Justiniani autem honorem Hagia Sophia canoni addita est. Atque his quoque, de quibus loquimur temporibus incredibilia opera atque iam non humanis viribus confecta veris atque hominum arte exstructis antehabita esse documento sunt Apollonii illud balneum, Bellerophontis statua, Heracleense theatrum. Nec non patriae studium atque proprium singulorum arbitrium ad canonem nostrum immutandum hac quoque aetate valuisse videtur. Myrense quidem theatrum hac ratione inter septem mira relatum esse verisimile est. Rufinia quoque silva atque Hagia Sophia canoni adscriptae rei documento esse possunt.

Atque omnino consentaneum est hac aetate variandi de canone nostro licentiam non minorem, immo, quo maior erat mirarum rerum copia, eo maiorem fuisse, quam prioribus saeculis.

Id quoque commemorandum mihi videtur, e prisci canonis miraculis ne unum quidem in omnibus, quos habemus ordinibus reperiri. In plurimis tamen catalogis sunt Rhodius colossus et Mausoleum.

Iam priusquam finem imponamus toti de septem miraculis quaestioni, de ordinis ratione, qua in singulis enumerationibus singula inter se opera excipiunt, nonnulla sunt addenda. Qua in re certa ratione eos, qui septem miraculorum catalogos composuerunt, plerumque usos non esse mihi quidem diligentissime singulos ordines examnanti certissimum factum est. Unum excipiendum esse dico, Antipatri Sidonii ordinem. Eum enim septem spectacula ita disposuisse apparet, ut barbaro cuique miraculo graecum opponeret. Initium facit a muro Babylonio, cui respondet Jovis Olympii statua; sequitur hortus pensilis, cui opponit colossus; excipiunt eum pyramides, quarum instar est Mausoleum. His omnibus autem operibus artificio atque celebritate praestat Ephesium templum, quod ob eam ipsam causam ultimum ceteris adiungitur.

Contra in ceteris ordinibus tam certam in disponendis operibus rationem frustra circumspereris. Tantum concedo, in eis operibus

eligendis, quae aut primo aut ultimo loco ponerentur, certam causam apud nonnullos valuisse, quamquam apud quosnam ita se res habeat, non satis liquet, excepto Beda, qui Capitolio primum locum attribuit, quod quin consulto fecerit, ideo dubitari nequit, quod his verbis inchoat enumerationem suam: „Quod primum est Capitolium, salvatio civium maior quam civitas.“

Haec habui, quae de septem orbis spectaculis dissererem. Quae quam non ad totam hanc quaestionem absolvendam suppetant, minime me fugit. Tamen aliquantum rem promotam esse confido. Ad finem ut opus inceptum perducam, si haec meorum studiorum primitiae probatae fuerint viris doctis, postero tempore, ubi otium suppetet, mihi proposui.

# Appendix.

## I.

Anecdota Graeca ex codicibus a R. Schoellio descripta:

Codex Ambrosianus C. 222 ord. inf. saec. XIII et XIV, de quo praeter Keilium aliosque accurate egit Studemundius (Anecdota varia edd. Schoell et Studemund I, 237 sq. 250 sq.), fol. 180<sup>o</sup> haec habet:

Τίνα τὰ τοῖς παλαιοῖς θρυλλούμενα ἐπὶ θεάματα:

πρῶτον θεάμα τὸ Καπιτώλιον Ῥώμης· δεύτερον θεάμα ὁ Φάρος Ἀλεξανδρείας· τρίτον θεάμα ὁ περιβολὸς Καίσαρείας.<sup>1)</sup> τέταρτον θεάμα ὁ κολοσσὸς Ῥόδου.<sup>2)</sup> πέμπτον θεάμα ὁ Βελλεροφόντης Σμύρνης· ἕκτον θεάμα ὁ ναὸς τῆς Κυζίκου· ἑβδόμον θεάμα τὸ θέατρον Ἡρακλείας· ὄγδοον θεάμα τῶν ἄλλων πάντων ἀξιαφηγότερον ὁ ἐν Κωνσταντινου πόλει ναὸς τῆς Ἀγίας Σοφίας ἦτοι τοῦ υἱοῦ καὶ λόγου τοῦ Θεοῦ, ἔργον Ἰουστινιανοῦ βασιλέως.

<sup>1)</sup> In his verbis Mausoleum latere puto, quia alterum quoque anecdoton ex Ambrosiano codice tertio loco Mausoleum habet; accedit, quod et apud Nicetam, ubi de Mausoleo verba facit, per errorem Καίσαρείας pro Καρίας scriptum videmus.

<sup>2)</sup> Superinscriptum est: Κολοσσὸς γὰρ ὀνόμαζεται ἀνδριάντος (sic) ἰστάμενός ποτε ἐν Ῥόδῳ.

Ἄλλο περὶ τούτων.

Θ) τὰ 3' θεάματα τῆς οἰκουμένης αἰτῶν εἶδε ταῦτα.

α: Φάρος Ἀλεξανδρείας· φάρος δὲ ἐστὶ ὑψηλὸς τόπος, εἰς ὃν ἀνελθὼν τις βλέπει πολὺ ὡς οἶμον(?) διάστημα. (Superinscriptum est vario atramento: ὃν ἐκτίσεν ἡ Κλεοπάτρα· φαναρίων γὰρ δίκην ἐκτίσεν καὶ ἔβλεπον τοῦτο τῶν εἰσπορευομένων πλοίων . . . τὴν θάλασσαν οἱ ναῦται ἀπὸ τοῦ φάρος ὁρᾶν.

β: Βελλεροφόντης Σμύρνης· οὐ δύνομαι τοῦτο.

γ: Πανσωλοῦ (sic) Καρικὸν τάφος· οὐδὲ τοῦτο οἶδα.

δ: Κολοσσὸς Ῥόδου ἦτοι ὁ φανὸς τὸ θέατρον.

ε: τὸ Καπιτώλιον τῆς Ῥώμης ἦτοι τὸ καλῶτιον.

ς: ὁ ναὸς Κυζίκου.

η: τὰ Βαβυλώνια τεῖχη.

θ: καὶ αἱ πυραμίδες αἱ ἐν Αἰγύπτῳ, αἰτινὲς εἰσὶν ἄσκειαι· ὁ γὰρ ἥλιος φαίνει πᾶς· εἰ δὲ ἴσεται τι πρῶγμα μέσον τοῦ ἡλίου ἢ ἀνθρώπος, ἔχει οὐκ αἰ. αἱ γοῦν πυραμίδες αὐταὶ ἰστάμεναι μέσον τοῦ ἡλίου

## II

είδιν ἄδικαι. οὐ κρατοῦσι γὰρ σκιὰν ὑποδομηθεῖσαι (leg. οἰκ.) παρὰ τοῦ παλαιοῦ ἐκεῖ τεχνίτου μεθοδικῶς.

Cod. Vat. 989 Xenophontis ultimo folio haec habet:

... ἡ ἔργα κάλλιστα καὶ θεάματα ... ἐν τῷ κόσμῳ.

[ὁ] ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀρτέμιδος ναός.

τὰ Βαβυλώνια τείχη · [αἱ] ἐν Αἰγύπτῳ πυραμίδες · ὁ ἐν Ρώμῃ Ἀφροδίτης καὶ [Ρώμης] ναός · τὸ ἐν Ρώμῃ ἀμφιθέατρον · ὁ ἐν Ἀλικαρνασσὶ (Μ)ανθώλου τάφος · ἡ ἐν Ρώμῃ Γαίου καὶ Λουκίου ναυμαχία · ὁ ἐν Κρήτῃ λαβύρινθος.

ὁ ἐν Ὀλυμπίᾳ Ζεὺς ἔργον Φειδίου. ὁ ἐν Ἐπιδαύρῳ Ἀσκληπιός, ἔργον Φειδίου.

[ὁ] ἐν Ρόδῳ [χο]λοσός, ἔργον Χάρητος. ἡ ἐν Ἀργεὶ Ἥρα, ἔργον Πολυκλείτου. [ἡ] ἐν Κνίδῳ Ἀφροδίτη, ἔργον Πραξιτέλους. ὁ ἐν Μιλήτῳ ναός (τοῦ) Ἀπόλλωνος. ὁ ἐν Ρώμῃ ἐν τῷ κίρκῳ ὀβελίσκος κομισθεὶς ἀπ' Αἰγύπτου· ὁ ναός τοῦ Διὸς ἐν Ἠλίῳ πόλει. ὁ ἐν ... ἀραις (?) τῆς Σελήνης. ὁ Ἀθριανοῦ ἐν Κνίδῳ, ἀτέ[λ]εστος. ὁ Διὸς ἐν Λαμασκῇ· αἱ ἐν Θηβαίῃ σύριγγες\*. τὸ ἐν Σιδωνί θέατρον · τὸ ἐν Ἡρακλείᾳ τῆς Θράκης. ὁ ναός τοῦ Σαρπηδόνης (leg. Σαράπιδος) ἐν Ἀλεξανδρείᾳ · ὁ Ἀσκληπιῶν ἐν Περγάμῳ. ὁ ξυστός ἐν Σάρδει. ἡ ἡρακλεία κρηπίς ἐν Σάρδει [ἔχου]σα ἐν βάθει βαθμούς 57 · ὁ ἐν Ἐφέσῳ λιμὴν χειροποίητος ὅλος. ὁ ἐν Νικομηδείᾳ Ἀντωνίνος. ὁ ἐν Βηρυτῷ [Ζεὺς], ἔργον Φειδίου χρυσελέφαντα (sic) ἀτέλεστος. ἡ ἐν Μύροις τῆς [Λυκίας] Ἀργῶ, ὁλοσφαγῆδινος πηχυναία καθεζομένη ἐπὶ θρόνον ἐν τῷ αὐτοῦ λίθῳ, ἔργον Πραξιτέλους, ἀτέλεστος τὰ περὶ τοὺς πόδας καὶ τὰ περὶ τὸν θρόνον.

\* legendum videtur „σφίγγες“.

## II.

1) Bedam illius catalogi auctorem non esse inter recentiores viros doctos affirmaverunt Omontius (Les sept merveilles du monde au moyen âge; École des chartes vol. 43, 1882 p. 40—59), et Art. Grafius (Roma nella memoria e nelle immaginazioni del medio evo Torin. 1883; vol. I, p. 111—113, 184 sqq.; II, 569). Ordinem illum apud mediae aetatis scriptores notissimum fuisse non minus quam sex eius ordinis manuscriptis nominatim exhibitus Omontius docet. (l. I. p. 44.) Aliam eiusmodi de septem miraculis commentationem ex Parisino codice 8818 sc. XI. fol. 59<sup>o</sup> descriptam (vide p. III) meo rogatu mihi misit vir doctissimus, Dr. L. Traube. Quam cum inter Heirici qui vocatur Auxerriani opuscula ille invenit, quem ex Iricorum scriptorum operibus ex parte quidem sua hausisse verisimile est, (cfr. L. Traube: O Roma nobilis. Philol. Untersuch. aus d. Mittelalter, München 1891) catalogum quoque illum septem miraculorum ex Irico fonte petitum esse suspicatur atque per Heirici demum auctoritatem factum esse, ut per totam mediam aetatem pervolgaretur illa commentatio. Qua in re utrum recte viderit ille necne, equidem diiudicare non audeo. — Ceterum novum Omontius affert Sanguinati consulis de mundi miraculis carmen (l. I. p. 58), quo carmine sedecim mirabilia opera enumerantur. Cuius catalogi certe gravissimi sane in



### III

ipsa dissertatione, non in appendice ratio mihi habenda erat. Sed nescio quo pacto cum libellum componerem, fugerunt me Omontii atque Grafi disquisitiones. Praelo demum cum subicienda esset dissertatio, in manus meas inciderunt. — Bedae quae vocatur commentationem novissimi ediderunt J. A. Giles: The complete Works of Venerable Bede Lond. 1843 vol. IV, p. 10, et Docenius e codice quodam saec. VII.

Codex Parisinus 8818 sc. XI. fol 59<sup>v</sup> haec habet:

De septem miraculis mundi. |

Primum miraculum — romē saluatio tutior quā ciuitas ciuitas ciuium et ibi consecratio omnium statuarum gentium. Que statue scripta nomina in pectore gentis, cuius imaginem tenebat, gestabat et tintinnabulum cuiusq' statue. Erantq' sacerdotes die et nocte semper vigilantes, qui eas custodiebant. Et que gens in rebellionem consurgere conabatur contra imperium romanorum, statua illius commouebatur, et tintinnabulum illius mouebatur in collo eius ita, ut scriptum nomen continuo sacerdos principibus deportaret et ipsi absq' mora exercitū ad reprimendam gentem dirigerent. |

Secundum miraculum farum alexandrinum, qui super quattuor caneros uitreos passus xx in mari fundatus est. Quo modo tam magni cancri fusi sunt, quo modo in mare deportati et non fracti, quomodo fundamenta cementi super ipsum adherere potuerunt et sub aqua cementum qualiter stare potuit vel quare cancri non franguntur aut quare non lubricat | desuper fundamentum. Hoc magnum miraculum est quomodo factum sit et ad intelligendum difficile.

|| Tercium miraculum colosei in insula hrodii mag . . . | <sup>1)</sup> cxx et sex pedum fustis facta. qualiter tam immensa moles fundi potuit vel erigi aut stare mirum quidem. <v> enim pedibus artior (leg. altior) fuit imago illa imagine colosei rome.

| Quartum miraculum simulacrum bellorofontis cum equo suo in smirna suspensum in arrio <sup>2)</sup> est nec catenis penditur sursum nec defultus (sic) ullo stipite sustinetur, sed magnetes lapides in arcus volsura habent. hinc et inde in absumptionibus trahitur et in mensura equiparata consistit. Est autem estimatio ponderis circiter quinq' milia librarum ferri.

| Quintum miraculum est theatrum in eraclea de uno monte marmoreo ita sculptum, ut omēs cellule ma(n)siones muri et antra bestiarum ex uno solidoq' lapide factum est super septem caneros de ipso lapide scul(p)tos appendens et nemo in girum ipsum tam secreta aut solus aut cum alio loqui poterat, quod omnes, qui in circuitu sunt, ipsum audiant. |

Sextum miraculum [balneum, quem apollo ruaneid] <sup>3)</sup> cum una candela consecrationis terminas incendit. perpetuo igne lignorum calentes fecit. |

Septimum miraculum templum diane. Super quattuor columnas prima fundamenta persculpta sunt arcuum. Deinde paulatim succrescens super quattuor arcus eminentiores lapides arcubus prioribus positi. Super quattuor octo columnae et octo arcus positi. Inde tercio ordine aequa ponderatione per quattuor

<sup>1)</sup> rasura deletae sunt litterae 3—4.

<sup>2)</sup> Legendum videtur: in aere sistit vel est. cfr. Vatic. anecd. Omont p. 48.

<sup>3)</sup> inclusa in rasura scripta sunt; lege: Apollonius Tyaneus.

#### IV

partes succrescens semper eminentiores lapides positi, super octe sedecim fundati sunt; super sedecim XXXII. Iste ordo quartus est. In quinto ordine LXIII columnae et arcus succrescentes et super LXIII CXXVII columnae finem faciunt miraculis edifici.

2) Anonymus ad calcem Josephi, Aug. Vindel. 1470. fol. coll. Fraenk. Act. p. 87 haec habet:

Septem mirabilia mundi:

Quorum primum est Capitolium Romanum. Secundum Pharos Alexandrina, quae super quattuor cancos vitreos per passus viginti sub mari fundata est.

Tertium in Rhodo insula colossi imago aerea centum triginta sex pedum fusilis facta.

Quartum simulacrum Bellerophontis ferreum cum equo suo in Smyrna civitate in aere suspensum nulli rei innixum.

Quintum theatrum in Heraclia civitate marmoreum ita sculptum de monte.

Sextum balneum, cuius ut aquae calefiant unius candelae accensione paratur.

Septimum templum Dianae Ephesi.





01

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.

# Ordinum tabula.

Ordinum tabula.													
I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XI.	XII.	XIII.	XIV.
Antipater Gregor. Naz. Philo Byz.	Hyginus, Ampe- linus, Cassiodorus, Vib. Seq. appen- dix.	Marialis.	Anonymus de incredib. (Orell. p. 67).	Gregorius Nazianz. (or. in Basil.)	Nicetas.	Anonymi Graeci e codice Taurinensi.	Georgius Gedrenus.	Beda Venerabilis. —	Gregorius Turonensis.	Aneodota Graeca e codice Ambrasiano c. 222 (sc. XIII) fol. 180c.	Anonymus Graecus e. cod. Vatic. 989 Xenoph. ultim. fol.		
A. Antipater: 1. Murus Bab. 2. Juppit. Ol. 3. Hortus pens. 4. Colosus Rhod. 5. Pyramides 6. Mausoleum 7. Ephes. templ.	1. Ephes. templ. 2. Mausoleum 3. Colosus Rhod. 4. Juppit. Ol. 5. Regis Cypri. 6. Mausoleum 7. Pyramides.	1. Pyramides 2. Murus Bab. 3. Templ. Ephes. 4. Ara Dela 5. Mausoleum 6. Colosus Rhod. 7. —	1. Juppiter Ol. 2. Ephesian templ. 3. Ara Dela 4. Mausoleum 5. Murus Bab. 6. Colosus Rhod. 7. Pyramides.	1. Aegyptiae Theb. 2. Murus Babyl. 3. Mausoleum 4. Pyramides 5. Colosus Rhod. 6. Colosus Rhod. 7. Pyramides.	Idem ordo est apud Montefalc. e codice Bolsae descriptus (Diss. Ital. p. 272) et apud Mab. diss. canc. 1, 508.	1. Ephes. templ. 2. Juppiter Ol. 3. Murus Babyl. 4. Pyramides 5. Cypri regia 6. Minerva Philae 7. Colosus Rhod.	1. Ephes. templ. 2. Murus Babyl. 3. Pyramides 4. Juppiter Olymp. 5. Ephes. templ. 6. Mausoleum 7. Myrae theatr. 8. Silva Insula.	1. Capitolium 2. Pharus 3. Colosus 4. Belerophonis statua 5. Theatrum Hera- cleense 6. Balneum Apol- lonii.	1. Non arc. 2. Babylon 3. Salomonis temp- lum 4. Sepulcrum Per- sici regis 5. Mausoleum 6. Rhod. Colos. 7. Herac. theatr. 8. Hagia Sophia.	1. Capitolium 2. Pharus 3. Mausoleum 4. Rhod. Colos. 5. Belerophonis statua 6. Cypri. templ. 7. Murus Babyl. 8. Pyramides.	1. Pharus 2. Belerophonis 3. Mausoleum 4. Colosus 5. Capitolium 6. Cypri. templ. 7. Murus Babyl. 8. Pyramides.	1. Ephesian templ. 2. Murus Babyl. 3. Mausoleum 4. Colosus Rhod. 5. Cypri. templ. 6. Myrae theatr. 7. Hagia Sophia.	
B. Gregorius: 1. Murus Bab. 2. Juppiter Ol. 3. Hortus pens. 4. Pyramides 5. Ephes. templ. 6. Colosus Rhod. 7. Mausoleum.	1. Ephes. templ. 2. Mausoleum 3. Colosus Rhod. 4. Juppit. Ol. 5. Regis Cypri. 6. Mausoleum 7. Pyramides.	1. Pyramides 2. Murus Bab. 3. Templ. Ephes. 4. Ara Dela 5. Mausoleum 6. Colosus Rhod. 7. —	1. Juppiter Ol. 2. Ephesian templ. 3. Ara Dela 4. Mausoleum 5. Murus Bab. 6. Colosus Rhod. 7. Pyramides.	1. Aegyptiae Theb. 2. Murus Babyl. 3. Mausoleum 4. Pyramides 5. Colosus Rhod. 6. Colosus Rhod. 7. Pyramides.	Idem ordo est apud Montefalc. e codice Bolsae descriptus (Diss. Ital. p. 272) et apud Mab. diss. canc. 1, 508.	1. Ephes. templ. 2. Juppiter Ol. 3. Murus Babyl. 4. Pyramides 5. Cypri regia 6. Minerva Philae 7. Colosus Rhod.	1. Ephes. templ. 2. Murus Babyl. 3. Pyramides 4. Juppiter Olymp. 5. Ephes. templ. 6. Mausoleum 7. Myrae theatr. 8. Silva Insula.	1. Capitolium 2. Pharus 3. Colosus 4. Belerophonis statua 5. Theatrum Hera- cleense 6. Balneum Apol- lonii.	1. Non arc. 2. Babylon 3. Salomonis temp- lum 4. Sepulcrum Per- sici regis 5. Mausoleum 6. Rhod. Colos. 7. Herac. theatr. 8. Hagia Sophia.	1. Capitolium 2. Pharus 3. Mausoleum 4. Rhod. Colos. 5. Belerophonis statua 6. Cypri. templ. 7. Murus Babyl. 8. Pyramides.	1. Pharus 2. Belerophonis 3. Mausoleum 4. Colosus 5. Capitolium 6. Cypri. templ. 7. Murus Babyl. 8. Pyramides.	1. Ephesian templ. 2. Murus Babyl. 3. Mausoleum 4. Colosus Rhod. 5. Cypri. templ. 6. Myrae theatr. 7. Hagia Sophia.	
C. Philo. 1. Hortus pens. 2. Pyramides 3. Juppiter Ol. 4. Colosus Rhod. 5. Murus Bab. 6. Ephes. templ. 7. Mausoleum.	1. Ephes. templ. 2. Mausoleum 3. Colosus Rhod. 4. Juppit. Ol. 5. Regis Cypri. 6. Mausoleum 7. Pyramides.	1. Pyramides 2. Murus Bab. 3. Templ. Ephes. 4. Ara Dela 5. Mausoleum 6. Colosus Rhod. 7. —	1. Juppiter Ol. 2. Ephesian templ. 3. Ara Dela 4. Mausoleum 5. Murus Bab. 6. Colosus Rhod. 7. Pyramides.	1. Aegyptiae Theb. 2. Murus Babyl. 3. Mausoleum 4. Pyramides 5. Colosus Rhod. 6. Colosus Rhod. 7. Pyramides.	Idem ordo est apud Montefalc. e codice Bolsae descriptus (Diss. Ital. p. 272) et apud Mab. diss. canc. 1, 508.	1. Ephes. templ. 2. Juppiter Ol. 3. Murus Babyl. 4. Pyramides 5. Cypri regia 6. Minerva Philae 7. Colosus Rhod.	1. Ephes. templ. 2. Murus Babyl. 3. Pyramides 4. Juppiter Olymp. 5. Ephes. templ. 6. Mausoleum 7. Myrae theatr. 8. Silva Insula.	1. Capitolium 2. Pharus 3. Colosus 4. Belerophonis statua 5. Theatrum Hera- cleense 6. Balneum Apol- lonii.	1. Non arc. 2. Babylon 3. Salomonis temp- lum 4. Sepulcrum Per- sici regis 5. Mausoleum 6. Rhod. Colos. 7. Herac. theatr. 8. Hagia Sophia.	1. Capitolium 2. Pharus 3. Mausoleum 4. Rhod. Colos. 5. Belerophonis statua 6. Cypri. templ. 7. Murus Babyl. 8. Pyramides.	1. Pharus 2. Belerophonis 3. Mausoleum 4. Colosus 5. Capitolium 6. Cypri. templ. 7. Murus Babyl. 8. Pyramides.	1. Ephesian templ. 2. Murus Babyl. 3. Mausoleum 4. Colosus Rhod. 5. Cypri. templ. 6. Myrae theatr. 7. Hagia Sophia.	